

ORPHEUS BRASILICUS,

SIVE

EXIMIUS ELEMENTARIS MUNDI HARMOSTES:

NEMPE

V. P. JOSEPHUS
DE ANCHIETA,

Novi Orbis Thaumaturgus, & Brasiliæ Apostolus,

CUJUS

Singulare In Quatuor Elementa Imperium, Variis Lucubra-
tionibus, & Solutis, & Ligatis, Partimque Musæo Appen-
sis, Partim E' Suggestu Recitatis, Coram Excellentissimo
Domino,

D. ANDREA DE MELLO CASTRO,

*Galvearum Comite, & Brasiliæ PROREGE. Sub Orphei Typo Ad-
umbrarent, & Exhibuerunt separati Juniores, Pariterque
Humaniorum Litterararum Scholares*

E' SOCIETATE JESU.

OPUS

AUXIT, EXPOLIVIT, DIGESSIT

R. P. FRANCISCUS DE ALMEIDA

EX EADEM SOCIETATE,

Privatus Pro Iphis Scholaribus Olim Præceptor In collegio
Bahienfi.

ULISSIPONE OCCIDENTALI:

Ex Officina ANTONII DE SOUSA A' SYLVA.

M. DCC. XXXVII.


Cum facultate Superiorum.



716
1937

16.339

Reg. 1960



PRÆCLARO , AC NOBILI VIRO ,
MAURO FERREYRA DE ALMEIDA,
STRENUISSIMO ,
PRO BRASILIENSI BELLONA
Primò Duci, deinde Chiliarcho , In extra-urbico
sui Oppidi Senatu Ordinario non semel
Judici ,
COLENDISSIMO
PARENTI SUO , AC MÆCENATI ,
NUNCUPATIO.



*Ix tres , suspiratissime Parens, vix tres.
subductis fideliter calculis , menses se evolvêre, ex quo
tibi prater spem desiderato parentanimus , cùm pri-
mum*

*mum calamus arripuimus, id tibi nuncupaturi opus-
culum, quod vivus typis excudi curaveras. Mutuum
nobis obsequium praevertit fatalis necessitas, fortasse tibi
adversus nos largitatis ansam, nobis erga te observan-
tia aditum praeclusura. Diu etenim lethali insidiata
morbo exacerat in te falcem; at impegit tandem ea
temporis alea, qua invidia commodius indulgeret, at-
que praeiperet uno ictu, & tibi, & libello jure optimo
tuo, expetitam lucis usuram. Verum fato non prorsus
concessisti, ut qui feceris, ne mors suis de technis om-
ninò gloriaretur. Prius nempe, quam è vità migrares,
extremis consignatam tabulis legasti tantam aris sum-
mam, quantà nostrae possent lucubrationes pluriès ex-
cudi. Indoluiisti tamen acrius voluminis exilitati, quae
minùs latam stravit largitati tuae aream, ac ne soli-
dum quidem trientem absumpsit, cum maluisses totum
assem impendere. Debueras jam tunc, generose Meconas,
dolori parcere; siquidem beneficia non mole cor-
poris, sed animi magnitudine aestimantur. Gratulamur
igitur animatus tibi, quantum donaveris; quantum
impertiri magnoperè studueris. Illud aris pondus,
quantumcumque sit, satis fuit, uti nos oberatos perpe-
rim fateamur. Nobis-met ipsis irascimur, nostra id
incuria, si vè impotentia potius vertimus, quòd opus
nec protraximus longius, nec ampliùs prolatavimus
sinus, plura, & potiora accepturi. Nostris proinde
obsequiis prudenter diffidimus, utpote tanta ampli-
tudini disparibus: gratitudini insuper timemus; quippe
qui parum valuimus muneribus accipiendis, repen-
dendis*

dendis ideo nos minus suffecturos arbitramur. Fecimus
tot in uno libello nomina, ut iis liberandis facultates
non suppetant. Nova itaque gratulandi norma incusa-
bimus munificentiam tuam, quod illa presteris, quas
nec verbis exponi, minus operibus equari patiantur.
Inde fit, ut eundem-met libellum (neque aliud de fa-
cili succurrit) tanti debiti titulum, tuo inferamus tu-
mulo in devincti animi pignus. Facilem, ac proclivem
ei auspicamur in urnam tuam descensum. Orpheum
præfert solitum penetrare in umbrarum hospitium, &
manes etiam mulcere cythara titillatu. Prodibit in lu-
cem libellus hic, nequaquam cæterorum more ab ortu
vitam auspantium; quippe ab utero mortuus præ do-
lore lucem sibi mancipat e sepulchro, futurusque vita
liber, prius mortis latibulis diversatur. Tristi inser-
viturus ministerio, non cunas, ubi vagiat solùm; sed
cryptam, ubi lugeat, inquirit, cum eo, quem efflictum
deperit, tumultandus. Foliis ergo suis, feralium veluti
integumento linteorum involutus, stylo laceratus, ni-
gris atramenti stillis respersus, cupresso duntaxat no-
tatus, tuum ambit conditorium, ubi factus Tristiam
liber prosequatur æternum Parentis exilium, peracer-
bum sui Mæcenatis interitum. Vale.

Obsequentissimus tibi Filius

Franciscus de Almeida.

EXCEL.

EXCELLENTISSIMO DOMINO ,
D. ANDREÆ DE MELLO CASTRO,

Galuearum Comiti , & Brasilia PROREGI,

Sequentes opellas

Pro Musæo


Olim legenti , ac audienti

EPIGRAMMA.

Quidquid in Orphæo Rhodopæ spectasse theatro
Fama est , hæc oculis exhibet aula tuis.
Omnia Brasílico plaudent elementa chorago ,
Plaudet & Aoniis musica scena modis.
Terra grave, unda sonorum, aër altum, ignis acutum
Edent , servabunt te que regente vices.
Nulla tamen Musis reboet tuba Martia bombo ,
Qui solet in castris exsonuisse tuis.
Nec bombardæ suas displodat ferrea glandes ,
Quas Gentilitii Stemmatis orbe geris.
Cedat at Orphæi plectro tuba rauca canoro ,
Mutentur bombus carmine , castra choris.
Pone supercilium : juvet indulgère Togatæ
Palladis obsequiis ; munus utrunque tibi est.
Si semel annueris Musis , *Mello inclyte* , verso
Tum fore crediderim nomine dulce *Melos*.

Pro vestibulo canebant

Juniores Musæ à Societ. JESU.




FACULTAS

ORDINIS

Michaël à Costa Societatis JESU in
Provincia Brasiliensi Visitator, &
Vice-Provincialis, potestate ad id nobis
factâ à Reverendo admodum Patre nos-
tro P. Francisco Retz Præposito Gene-
rali, facultatem facimus, ut liber, cui
titulus *Orpheus Brasilicus* à Nostratibus
humaniorum litterarum scholasticis elu-
cubratus, & à P. Francisco de Almey-
da expolitus, & gravium, doctorumque
hominum ex eâdem Societate judicio
recognitus, ac probatus, typis mande-
tur

tur : Cujus rei gratià has litteras manu
nostra subscriptas , figilloque nostro mu-
nitas dedimus. Datum Bahiæ 4. Septem-
bris an. 1736.

Michaël à Costa.



LICENC, AS

DO SANTO OFFICIO.

O P. M. Fr. Francisco de Santa Rosa Tinoco ,
Qualeficador do Santo Officio veja o livro,
de que se trata, e informe com seu parecer. Lisboa
Occidental 22. de Novembro de 1736.

*Fr. Rodrigo de Alencastre. Texeira. Sylva.
Soares. Abreu.*

EMINENTISSIME DOMINE.


L ibrum , cui titulus *Orpheus Brasiliensis* ab huma-
niorum literarum inclytæ Religionis Socie-
tatis JESU Scholasticis mirâ arte , peritiâque elu-
cubratum , & a R. P. M. Francisco de Almeida ex
eâdem Societate eruditè , atque eleganter expoli-
tum , perlustravi. Ut autem ingenuè , quod sentio,
aperi-

aperiam, est opus undequaque perfectum, doctum,
puchrum, & ingeniosum, in quo nil est legibus
fidei dissonum, bonisve moribus absonum, aut
quod censura aliqua notare possit. Igitur, ut ty-
pis mandetur, dignissimum esse judico. Ulyssip. Oc-
cidental. è Conventu S. Dominici die 30. No-
vembris anno 1736.

Fr. Franciscus à Santa Rosa Tinico.

V Ista a informação, pòde-se imprimir o Livro,
de que se trata: e depois de impresso torna-
rà para se conferir, e dar licença que corra, sem
a qual não correrà. Lisboa Occidental 7. de Desem-
bro de 1736.

*Fr. R. de Alencastre. Teyxeira. Sylva.
Soares. Abreu.*



DO ORDINARIO.

P Ode-se imprimir o Livro, de que se trata: e de-
pois de impresso tornarà para se conferir, e dar
licença para que corra Lisboa Occidental 8. de
Dezembro de 1736.

Gouvea.

DO

D O P A C, O.

O P. M. Fr. Jo-ão de Santiago da Ordem de Nossa Senhora do Monte do Carmo veja o Livro, de que se trata: e interpondo seu parecer o remeta a esta Mesa. Lisboa Occidental 11. de Dezembro de 1736..

Pereyra.

DE mandato Regalis Majestatis tuæ librum, qui inscribitur, *Orpheus Brasiliensis*, ab Scholasticis Humaniorum litterarum dispositum, & digestum à Reverendo Padre Magistro Francisco de Almeida, ex præclarissima, ac eruditissima familia Societatis Jesu, attentâ mentis acie, & cum summa voluntate perlegi, nihilque à legibus, jureque Regni in illo abhorrens notavi, nihil denique non Auctoris sui ingenio, atque eruditione dignum reperi. Quare dignum judico, ut facultas, quæ exigitur, concedatur. Ita censeo &c. in hoc Regali Ulyssiponensi Carmelo Occidentali die 13. Decembris 1736.

Frater Joannes a Divo Jacobo.


Que

Que se possa imprimir, vistas as licenças do Santo Officio, e Ordinario, e depois de impresso tornará a Meza para se conferir, e tayxar; e sem isso não correrá. Lisboa Occidental 15. de Dezembro de 1736.

Texeira. Bonicho.

Cyus hoc numeris omnibus absolutissimum, ne foret (uti res humanæ se se habent) ab omni parte beatum, librariorum mendis (quibus nullus liber caret, multi scatent) omnino subjacere necessitas coëgit. Ne illas igitur autoris vitio veritas; sed fatali forsan necessitate censebis in illam, vel invitum, pedibus ivisse Nasonis sententiam, qui, teste Seneca, *aiebat interim decentiorem esse faciem, in qua nevus aliquis esset.* At tu sic errata corrige.

- P** Ag. 3. lin. 25. mynorizat, lege minorizat.
 Pag. 4. lin. 1. Crepitacula. lege crepitacula
 Pag. 6. lin. 6. dum taxat. lege duntaxat.
 Pag. 7. lin. 14. tripudiantis. lege tripudiantes
 ibid. lin. 26. straboni. lege Straboni
 Pag. 20. lin. 20. Mecenète. lege Mæcenate
 Pag. 21. lin. 9. venusino. lege Venusino
 Pag. 22. lin. 6. et ubi. lege & ubi
 ibid. lin. 23. ab domine. lege abdomine
 Pag. 25. lin. 15. lusitaniæ. lege Lusitaniæ
 Pag. 29. lin. 34. lucrino. lege Lucrino.
 Pag. 30. lin. 23. undat. lege undas
 ibid. lin. 24. &
 Pag. 34. lin. penultimâ Pyerio. lege Pierio
 Pag. 44. lin. 4. cytharedo. lege citharhædo
 Pag. 49. lin. 9. præcant. lege præ eant.
 Pag. 54. lin. 3. tumere. lege fumare
 Pag. 86. lin. 19. umbracula. lege umbracula.



INAUGURATUR
BRASILIAE ORPHEUS,
Et Elementorum Harmostes.

ORATIO Prodroma.



I SUIS quondam Vatibus
tantum gratulabatur Roma,
quòd tragicomicam Orphei
fabulam in propatulo ex-
hibuerint, quantum gra-
tulabitur Brasilia separatis

*Cōf. Martia
l. Spectac.
Epig. 21.*

nostratum Juniorum Musis, qui musæo se
sistunt umbratilem sub Anchieta Orphe-
um palam edituri. Umbratilem dixerim,
nec dictam subit recantare sententiam;
quippe Ethnicorum poetarum fabulæ fu-
turis heroum imaginibus umbras non rarò
affingunt, quibus intenti, qui minus cali-
gant, oculi petita tandem luce ad votum
afflantur. Id primum virtutis specimen fa-
ciet Brasiliæ Thaumaturgus, ut, quas illi
umbras

A

umbras appingimus, in maiorem sui veritatis splendorem : in eo simul elucescet Oratorum industria, ut, dum tantum in Orpheo virum adumbrant, ex fumo dare lucem cogitent, & a fumosis antiquorum simulacris mensurent, ut moris est, nobilissimum virtutis flemma.

*Propositio
argumen-
ti.*

Brasilia itaque nobis ex animo gratuletur, utpote qui Orpheum minimè fabularem, ut ludicrum olim Romanorum spectaculum, in Bahyense theatrum conferimus, collatum festinabimus, festinatum concludemus, conclusum, si placuerit, vel laudibus prosequantur spectatorum subscellia, vel festivo tantum murmure Actoribus blandiantur. Hocce sanè argumentum vobis arbitror acrius arrisurum, si vatum figmentum tantisper revocem, ut Brasiliensis Harmostes in Thracio Cytharedo evadat eleganter inumbratus. Tantum instar alterius est in altero, ut lac similis lacti non appareat: vel Orpheus Anchietæ personam sibi arrogavit, vel Anchieta induit Orphei vultus. Si uterq̃ oculis obversaretur, unum in alio spectatum quis ambigeret? Vates ille, vates iste: imperitat ille imperitat iste: elementis ille, elementis iste: elementis? ita sanè; Thracius nempe Orpheus, ut interim

ORPHEUS BRASILICUS

3

terim de Brasiliensi subiticeam, totam ele-
mentorum Monarchiam suæ reddidit Ilyræ
pedissequam.

Auditis sonantem jam chelyn? Cerni-
tis, ut lyricinis manus perfidiculas sal-
tim cursitat, minutatim ferit, punctim vel-
licat, carptim replicat, cæsim variat, vi-
cissim reciprocatur? Animadvertitis, ut Moni-
tus nunc continuo ductu trahitur in lon-
gum, nunc discriminatur inflexo, nunc
distinguitur conciso, jam copulatur in mor-
to, jam promittitur revocato, jam de epi-
mitur inopino? Perpenditis, ut fila in ner-
dum clarat, deinde infuscat, tandem tur-
binat? Ut oculis raucis liquidas, liquidi-
graves, gravibus sonoras, sonoris altas, al-
tis argutulas intermiscet? Ut modulos cris-
pat, variat, interpolat, trepidatione, nu-
meris, morulis, suspensione? Inspicitis tan-
dem, ut plectrum modò micat in imo, mo-
dò versatur in medio, modò remoratur in
summo, ubique in excellenti? Stare in loco
nescit, progreditur, insperatò regreditur.
semel in uno laborat nervo, semel in alio
collectim in omnibus mynorisat.

Ad Orphæ Harmoniæ numeros sub-
sultat universi Machina. Talis videtur tri-
pudiare, montes suis è radicibus avulsi sal-

Descriptio
Orphei
Cyt Har-
monia

Ejus do-
minium
in ele-
mentis

A i t hant

4 ORPHEUS BRASILICUS

tant , lapides mutuó collisi efformant Cre-
pitacula , arbores nutante ramusculorum
vertice innuunt suavissimo concentui: feræ
jam cicures , nihilque de infidiis præca-
ventes , lupi cum agnis , trigres cum ovi-
bus , ducunt alternatè choréas : Homines
philtrato carmine subinde rapiuntur. Aqua
salientium applaudit fluviorum murmure,
& lympharum susurro musicam æmulatur
cantilenam. Aer in tres discretus regiones
abit in tripudium , atque tenui auræ sibilo
animat canentem vatem , & volucres cer-
tarim dimittit, ut, si plectrum rumperetur,
avium plumas præ manibus haberet Cytha-
rædus, quibus de novo pectine sibi provi-
deret. Ignis vel inferus , vel superus inna-
tam dediscens voracitatem innocuè lingit
Orpheum, ac dulcissimum bibiturus melos
in flammeas linguas solvitur. Siquis tamen
in dubium vertat miram in subigendis ele-
mentis virtutem, quâ Orpheia excelluit ly-
ra, disertissimi vatis, & scientiarum thesau-
ro locupletissimi , testimoniis acquiescat ;
ut qui in pangendis carminibus facile pos-
set cum Orpheo decertare :

Em. Thes.
lib. inf-
cript.

*Orpheus hac rapuit Neptuno monstra, leones
Saltibus , astræ Jovi , Manibus Euridicen.
Verum, enim vero præstantiori Har-
moste*

qui montium frænaret excursiones, cogeretque ad pristinas radices citò repedare. Huc ades, Anchieta: Orpheum quæritant, immoraris? Harmosten implorant, quiescis? Non est, cur moras annectas, cum te novo orbi supremus Archiphonafcus Orpheum præfecerit. Hic habes, Orphee, colles, quos rapias: hic offendis, Apollo, inambulantem Delum, quam firmes: hic incidis, Thaumaturge, inconcurrentes Symplegades, quas retrorsum impellas. Agedum, si canoras tantùm solvaris in voces, O' Canarine Panonphæe, montana repentè cacumina sonore correpta remigrabunt ad vetus hospitium.

Cernitis, ut jam montes advocati ad consuetos fines relabantur, à præscripto locounquam recessuri? Quanam, fingitis, virtute ingentes terræ moles retrahantur? Voce. Quanam industria, circumvoluto velut incantantium Rhombo, raptentur? Voce. Quibus demum carminibus, Cyrcæo quasi ore prolatis, excantentur? Voce. Ita, ita sanè res se habuit. O' Anchieta vocem posterorum aures penetraturam! Vocem nuncupem, an reboantem tonitrum penitissima telluris viscera conquassantem? O' potentiam singularem! Singularem dicam,
an

an divinum quoddam imperium cælitus elapsum, quod ipsi montes non detrectant, cui rudes ipsæ, indigestæque moles properanter obsequuntur?

Ut ut est, quis sanæ mentis arbiter in surget, qui Anchietam diffiteatur Brasiliæ agere Orpheum, cum præsertim rupes, ac montes demiremur hujus sententiæ pedarios? Scimus aliquando lapidem, cui forte incubuit Apollinis cythara, voces postmodum reddidisse lyræ sonitum æmulantes. Scimus etiam tellurem quondam conclamasse asininas Midæ aures. Altiores de Brasiliensi Orpheo futuros auguror clamores. Ille nempe lapis, qui sensit tangentem Herois manum, ejus in posterum virtutem resonabit; montes pariter, qui imperantis voces excepere, Harmosten suum decantabunt Heliconio plusquam concantu.

Sylvas etiam Americanus Harmostenes reddidit sui imperii sequaces. Dispeream, ni vernantem arborum rempublicam conspicer nutantem ramorum ponderibus, ac viro ablandientem. Anchieta sanè, & Orpheo, & sibi semper constitit, nisi quòd ille nemorum latebras, florum areolas, plantarum pulvitos non antè raptaverit, quam

*Pausan. in
Attic.*

*Ovid. Met.
tám. l. II.*

*Domina-
tur vege-
tabilibus.*

ORPHEUS BRASILICUS 15

quàm nascerentur: hic levi supercilio nasci coegerit, ut subita germinatione pululantes ad nutus famularentur. Vos provoco, emaciati Pauleopolis campi, qui nulla lacesciti cultura prætereuntem Anchietam officiosè salutastis inopina florum, frugumque fætura.

Torpuerat triste solum, perpetuo situ, & squallore horridum: neque enim in floribus ridebat Flora, nec in pomis oble- *Descriptio*
statur Pomona, nec in messibus lasc- *sterilis*
viebat Ceres, nec in vitibus luxuriabat *agri.*
Bacchus. Quaque versum ibat oculorum prospectus, obversabantur calvescens humus, detonsi cespites, erasæ glebæ, quasi omnibus allatrasset Canicula; atque nocenti mori infecisset. Iam tum experimentis innotuerat, quantum infæcundandis arvis valuisset Brasiliensis Orpheus. Uberrimam itaque annonam coloni prælagiebant, futuramque telluri Amalthææ copiam, si oculos tantum in agros detorqueret; quippe qui etiam citra concentum ab imis terræ visceribus segetes evocaret certiùs, quàm olim Phillidem suam nescio quis crediderat provocaturam.

*Aret ager: vitio moriens. Cæcis herba,
Liber pampineas invitat colibus umbras,*

*Virg. Ec-
log. 7.*

Phil-

Phillidis adventu nostræ nemus omne virebit.

Prælagiis fidem eventus fecit. Ubi adfuit Canarinus Orpheus, quasi pedes verterentur in aratrum, corpus in imbres, facies in Solem, oculi in sydera agros benigne afflantia, repente tellus viridi vestitur paludamento, altorem suum festivè exceptura. Hinc flavescent aristæ, turgent fruges, tumescunt poma: illinc gemmascunt mille florum colores absque semine pullulantium. Arbores non opperiuntur hyemales moras, ut vegetentur, verna-les favonios, ut florent, autumnalem amœnitatem, ut fructificent, æstivos demum calores, ut fructus decoquant; sed simul patulis diffusæ ramis, turgidis recurvatæ ponderibus, hyemem, ver, autumnum, æstatem maturata fœcunditate antevertunt. Arva, quæ nuperrimè senuerant deformi calvitio, modo cæsariata vernanti herbarum capillamento juveniliter pubescunt.

*Descriptio
agri sub-
ito vernan-
tis.*

*Ej. vital.
3. cap. 12.
num. 7.*

Plena miraculis sanè est Anchietæ facies: venit, vidit, vicit naturæ obices. Si quantum in excolendis agris gesserit Brasiliensis Thaumaturgus, oculata tamquam testis inspexisset antiquitas, divinos ei honores decrevisset. Deioris enim Deos coluere

tuere maiores, qui Anchieta collati vix homines viderentur. Vivus locaretur in aris: illum, ni sexus vetaret, ut Cererem, Pallademque olea, & aristis Coronarent: ut Iovem quercu, ut Apollinem lauro, ut Herculem populo certe populus redimeret; quippe qui tot arbores, tot frondes protulerit, unde innumeræ sibi coronæ neckerentur. Facessant tamen fictæ Religionis honores: haud crescit mendacio virtus: Anchieta, divina cum faciat, humanam sortem non erubeſcit.

Brasiliensis Orphei theatrum, ubi rep-
tantes montes, tripudiantis arbores hucus-
que spectavimus, mutatis modò vicibus, ver-
git in amphiteatrum, ubi varia occur-
rent ferarum spectacula. Nullus tamen hic
congreſſientium belluarum duellis locus
vacat. Quippe ferociam exuerunt, cum
primùm earum Anchieta aures suis carmi-
nibus delinivit. Id magnoperè evicit, ut
quibus à natura insitum erat, prius læde-
re, postmodum luderent, prius congredi,
postmodum obsequerentur, prius efferrari,
postmodum blandirentur. Musicis etenim
modulis, si straboni fidimus, animantia
capiuntur, & agrestes ferarum sensus dui-
cedine facile depræcitantur.

Domina-
tur sensi-
tivis.

Apud Kir-
cher. Mu-
surg. p. n.
202.

B

Non

Non opus duxit ad id omnes nervos intendere, ut potè qui pro plectris usurpavit rudem duntaxat baculum, & pro lyris minimam, ac tenuissimam voculam. Immanes itaque sylvarum hospites baculo laceffitæ, quasi divinâ correptæ virgulâ è vestigio confluent: vocibus provocantur, obcurfant: clamat, accedunt: jubet, sistunt: palpat, blandiuntur. Vehementiorum belluis terrorem incussit rudis Anchietæ scipio, quam strenuissimi olim Scipiones Africæ monstris intulere. Levissimus Thaumaturgi nutus acriùs exarmavit ferarum assultum, quàm Herculis clava Hydras, Mercurii caduceus angues, Dianæ arcus apros, venatici Actæonis canes velocissimos cervos edomuerant.

Littus percursanti obviant vastissimæ molis panthææ. Corpus illis oblongum, virgatum, maculis expictum, ac veluti stellulis seriatim interpunctum: cervix torosa: oculi scintillantes, & prodromas noctu faces ad cædem prætendentes: ora longo rictu, depressâ voragine hiantia, dentium series pectinatim aculeata, aquiliculus valdè distentus, ungues felini, incessus leoninæ maiestatis æmulus. Horrefceres ad torvas monstrorum facies, ac inopina

*Descriptio
Pantheræ.*

*Cōf. Pison.
hist. natu-
ral. lib. 3.*

opina succumberes horripilatione. Brasiliensis contrà Orpheus non horruit, non succubuit; quinimò Spartana nobilitate sustinuit, coercuitque belluarum impetum: quippe quæ in arenam festinarent cum pecore bellaturæ, ad moderatoris supercilium extemplò restitère, quasi primò victas in pulvere se palam faterentur.

Infiluerunt undiquè ridiculi sylvarum pantomimi, ludiones nimirum simii, hum- *Idem. l. 4.*
manos gestus affectantes, quibus usu tandem venerat modò per humeros errare, modò pedibus oscula affigere, tandem festivis gesticulationibus nutare. Irreplerunt secretioribus è latebris virulenti angues, quorum si magnitudinem æstimas, è Lerna, si venenum, è Cinypho erupisse videntur. At statim torpebant Medææ veluti cantu perculsi: alii per corpus gyrare: alii è collo in torquem pendere: alii per brachia in armillas circinari: alii pedibus in compedes annecti: alii denique crebris spiribus baculo innodari. Mercurialem nuncupares caduceum, si huic alæ utrinque inle-
dissent; nisi quòd fama, quæ nuncia rei tantæ pervolavit, virgam tandem reddiderit alatam.

Quid nimis extollit ventas Pythagor-

Ita Text. Officin. l. 7 cap. 29. ram urfos, & tauros, magicis in aures carminibus insufflatis, domantem? Quid Sylviam cervum in sylvis pectentem, violisque ornantem? Quid Augustum tigrim in cavea cicuratum ostendentem? Quid nobilitat fama, quos denigravit infamia? Inglorium enim in feras censetur imperium, quod tantum peperit vis magica, coegit tempus, domuit cavea, provocarunt verbera. Quinimò Anchietam posteritati commendet, belluas ad manus agentem, non magicis arreptas vocibus, non coactas tempore, non domitas caveis, non provocatas verberibus. Panthéras quidem, tigrides, tauros, angues, simios, arcessit, permulsi, domuit, exercuit, vocibus, nutibus, baculo, popismate. Id, quod dum seriò perpendo, illud simul succurrit Anchietæ vertendum, quod per assentationem de Mecænète suo cecinit Martialis:

l. Spectac. Epigr. 10. Quos decet esse hominum tali sub Principe mores,
Qui jubet ingenium mitius esse feris.

Suprema in Orptheo theatro vertitur scena, quàm homines claudunt nobilissimi terræ alumni: nescio tamen, homines nè in feras, an feras in homines personatas nuncupem. Testor Hispanos, qui Brasi-

*Domina-
tur Ratio-
nalibus.*

los

lōs quondam in macello laniant , & in pecuario foro venales fecerant. Enim verò adeò increbuit Brasiliensis Orphei concentus , ut humanam indolem , extractà ferarum larvā , citò prætulerint. Anchietæ lyra obtinuit , ne amplius delirarent : evicit , ne pecudum more errarent : cavit , ne barbaro victui indulgèrent : in eo potissimum æquandus Orpheo ; ut qui , venusino teste , proinde creditur leones , tigrideque lenivisse , quòd incultos homines ad civilem normam transtulerit :

*Sylvestres homines Sacer , interpret que Deorum ,
Cadibus , & victu fædo deterruit Orpheus :
Dictus ob hoc lenire tigres , rabidosque leones.*

*Horat. in
Art. Poetic.*

Quid , si Brasilis conferantur , & utrinquè mores decertent ? Hinc augefcet immanitas , illinc decrefcet : hinc barbaries elucefcet , illinc disparebit : barbaries , inquam , quæ videbitur ubiquè peregrina , Brasiliæ indigena : alibi hospes , hîc contranea : alibi inquilina , hîc popularis. Fingite vobismetipsis immanes populos : Brasili immaniores. Si ferociam requiritis , Getæ ; si vagulas excursions , Scytæ : si sagittarum terrorem , Parthi , si barbarum victum , Thraces : si rusticitatem , Syl-

Sylvani; si libidinem, Luperci; si ebrietatem, Leontini. Recidam semel: vitia, quæ divisim per alias grassabantur regiones, malus Brasiliæ Genius turmatim invexit.

Consule

Georg.

Margrav.

tract. Topo

graphico

cap. 7.

Præ cæteris verò invaluerant libido, temulentia, cædes; et ubi nondum Numen innotuerat, hujus tantum nefandæ Triados solemnia colebantur. Libido in eo maxime affulgebat, quod stupris invigilaret, alieno thalamo infidiaretur, quin eam amolirentur turpitudinem amicitiae leges, hospitalitatis tesseræ, sanguinis necessitudines. Tot sagittas ferebant, quot signa præferebant impudici amoris: in germanum Cupidinis abierant iconismum, quem eorum nuditas, cæcitas, arcus bellicè adumbrarant. Cædes ideò ingravescebant, quod ne hominibus quidem parcerent; cadaverum nempe artus frustatim decerptos, vel igne tostos, vel fistilibus ollis elixatos vescebantur. Nullum Thyestæo convivio arridebat ferculum, nisi humano ab domine impinguatum, superinfusove sanguine conditum.

Ibidem. c.

7.

Ebrietas eò erat ineluctabilior, quò plus declinarat in naturam. Si tota vitæ ratio à Brasilis exigeretur, prolixas meherculè ephemerides clauderent tribus tantum

tum verbis : *Ludimus , bibimus , inebriamur*. Si tempus potationum rogaretur , in poculis (totidem reponerent) *diurnamus , meridiamur , pernoctamus*. Apelles artis sedulitatem indè commendat , quòd nulla dies sine linea : Brasili verò prædicant temulentix assiduitatem , quòd nulla dies , nulla quidem hora , nullus etiam quadrans absque vini sextariis elabatur. Ad supremam lineam nunquam deveniunt informes illæ ebrietatis imagines , quia numquam ad finem pertingunt : à fabulis vindicant bicongios Cicerones , tricongios Torquatos , Pisonemque biduo , ac totidem noctibus unam potationem prorogantem : Mæximinum diurnam sitim amphora Capitolina subindè placantem. Maiora siquidem inspiciet vinolentix miracula , qui , peragrata Brasiliæ orà , in eas carybdes inciderit , acriùs , avidiùsque sorbentes.

Ita Biderm.
Utop. l. 3.
num. 18.

Brasilia itaque hoc flagitiorum fatel-
litio circumsepta, & militaribus quasi præ-
sidiis munita impudenti ore videbatur se
ita venditare: quis meas vires elidet? Quis
potentiam eludet? Quis tot vitiorum moni-
tra contundet? Quis libidinem, temulen-
tiam, cædes, & ejusdem farraginis sce-
lera retundet? Ubi hostis, nisi mihi met
evadam

evadam hostilis ? Ubi periculum , si nolim periclitari ? Bellum adornent , aggrediantur : facilius erit annumerare , qui recedent , quàm qui accedent. Agedum , Brasiliensis Thaumaturge ; quid ultra operiris ? Brasiliæ arrogantiam audis , dissimulas ? Impudentiam sentis , connives ? In morbum offendis , medicamen procrastinas ? Irrue : internecinam corruptelæ stragem indic , prosequere , confice. Pereat , pereat illa pestis , pestis illa , quæ hætenus exarsit tot nutrita fomentis : evanescat illa immanitas , immanitas illa , quæ in Mortalium capita immane quantum sævierit !

*Engel-
grav. Cæl.
Empyr. p.
505.*

In illud tandem vitiorum receptaculum invectus est Brasiliensis Orpheus , haud armorum strepitu formidolosus , at vocibus duntaxat instructus : vocibus nempe non tam concinentis , quàm concionantis. Visus est utcumquæ sequi Lydios , Cretenses , qui vocalibus Cytharæ , fistulæque illecebris proludebant in certamina. Cæterum victoria , haud voce tenus fuit à vitiis reportata. Vix enim Canarinus insonuit Harmostes , simul flagitiorum turmæ aliò divertere. Tum demum choragium posuere virtutes , cum penitus accepta lege , no-
xarum

xarum Chorus turpiter obticuit, sublato jure
 nocendi. Libidini successit pudicitia, te-
 mulentiæ sobrietas, cædibus tranquillitas,
 ferociæ civilis humanitas. Suo jam
 virtus comparet in vultu, non fucata do-
 lis, non larvata fraudibus. Initur amicitie
 fædus, coluntur hospitii jura, reverentur
 sanguinitatis leges. Ubi ne initiales qui-
 dem litteræ, *Fidei*, *Legis*, *Regis*, verna-
 culo efferebantur sermone, ibi integra vo-
 ce, & pleno gutture *Fides* modò acclama-
 tur, *Lex* imperat, *Rex* dominatur. Bra-
 filia denique, quæ declinarat in ferarum
 caulam, regiam modò aulæ induit majes-
 tatem. Evasit orbis delictum, lusitanie
 pupilla, cor Americæ, Europæ anima,
 Asiæ æmulatio, livor Africæ: buccina-
 tur bonorum Thassus, divitiarum Dathus,
 advenarum hospitium, commeantium Itha-
 ca, in quam ubi quisque pertingit, quasi
 lothon gustasset, inopina Patriæ irretitur
 oblivione.

At hæc quanti steterint Brasiliensi
 Thaumaturgo, librare ex merito quis po-
 terit? Quibus ille sudoribus emeret melio-
 rem Brasiliæ frugem! Quo curarum dis-
 pendio redimeret tot animas Orco manci-
 patas, homines voluptatibus manicatos,
 vitiis

Alphabe-
 tum Bra-
 silicum ca-
 ret litteris
 F.L.R ita
 Anchieta
 in Arte
 Gramma-
 tice Bra-
 silice.

De his Ma-
 nutius in
 Adag. p.
 131.

vitiis omnibus compeditos ! Qua mempe
 sedulitate medicaretur tot Euridices le-
 thali culpæ morſu ſauciatas ; vel Tarta-
 reis cruciatibus devotas , ne omnino labe-
 rentur , Orpheo ingenioſior anteverteret !
 Quæ expeditiones inirentur ! Qui labo-
 res ! Quæ pericula ! Qui hoſtes ! Quæ
 fraudes ! Expeditionibus intentus , non
 defecit : laboribus exhaustus , non ſuccu-
 buit : periculis petitus , non exhorruit :
 hoſtibus circumventus , non ceſſit : frau-
 dibus irretitus , ſe penitus extricavit. Quo-
 ties cum tellure certavit cultori ſuo oblu-
 ſtante ! Quoties peragranti obtēdit ſalebro-
 ſos montes , impervias anfractibus ſylvas !
 Montes ſuperavit , ſylvas permeavit. Quo-
 ties obviam emiſit feroces belluas , imma-
 nes homines ! Belluas domuit , homines
 alleſtavit.

Peroratio.

Quid plura ? Adiiit quæ pauci cogi-
 tant , nemo unquam ſatis expendet : egit,
 quæ omnes verbis laudarent , nullus opere
 compleret : confecit , quæ ne ad ſpeciem
 quidem Thraſones aggredientur : Vicit
 tandem , quæ vix tentari poſſent. Hæc in-
 notescunt adeò , ut vel montes ad cælum
 uſquē evehant : arbores quaſi nutent in
 ſuffragia , frondentem verticem inclinent:

feræ

feræ blanditiis suis videantur innuere: homines clament, posteritati commendent. Quandiu tellus suis ponderibus librabitur, in montes surget, arbores proferet, beluas nutriet, homines alet, tandiu obærata Brasilici Orphei memoria perennabit. Pictor vel ipsa tantarum rerum umbrâ suas tabulas illustrabit: Sculptor victorias durabit: Poeta, cui hæc seria suppetent, parcet inania fingere, vana somniare: mirabitur demum Orator eloquentiam unius argumenti magnitudine superari.

M A R E

P O E M A

Brasilicum Orpheum Neptuno jura ferentem, *Propositio*
Frænantemq; maris fluctus, piscesq; trahentem,
Monstra & philtrato raptantem in littora cantu,
Vasto Amphitrites placuit spectasse theatro.
Tanta sed Orpheo latitat si carmine virtus,
Plectra quid insanum non expletura laborem
Altera sollicitem, aut alieni numina vatis?
Quid mea Cirrhæum repetet festina volatu
Musa nemus, circum quod saxo allisus ab alto
Fons Aganippæus saliente remurmurat undâ?
Quidve laceffit votis in barbita Phæbus
Huc aderit, pronæque lyris in carmina Musæ?
Clari.

Invocatio

Clarius es Clario Musarum, Ancheta, Chorago;

Clarius es, primus fausta qui sorte volentes

Horrida Brasilidum vexisti in tesqua Camænas.

Littora adhuc resonant metricis sulcata lituris,

*Vates in-*signis fuit
Vatibus unde novis dulces fluxere liquores,*& versus*

Cæpit & Aonium largè ebullire fluentum;

litteribus

Quale Caballino haud effoderit ungula fonte.

inarrabat.

Hinc tua nectareos propinet dextera succos,

Ponat amaritiem tali indulcata sapore

Improba lymphæ maris, pedibus modò vatis arandus,

Dulcescatque tuo salus sub nectare pontus.

Senferat Oceani Neptunus regna profundi

Fictio

In peius ruere, & nullis ditescere prædis,

æornata.

Naufraga quas mergit fatali gurgite puppis,

Expugnata Notis, rapidisque effracta procellis.

Senferat & nullos forberi vortice Nautas,

Nec per cæruleos errare eadavera fluctus.

O' quantis irarum excanduit ignibus! unda

Nec valet ardentes animo restinguere flammæ!

Vix subit in tanto rerum discrimine cætum

Concilium Nereidum, & Divûm Proceres arcescere, Tethys*Deorum* Brasila quos ponti regali condit in aulâ.*mare in-* Tunc ubi concilio Tritonis buccina signum*colentium.* Rauca dedit, valido reboarunt marmora bombo.

Extremplò turbati animi, simul omne tumultu

Conjuratque fretum: diverso Numina cursu

Accelerant, regisque sui penetralia complent.

Inde tridentifero servanda silentia telo

Indicens Neptunus aquis, & murmura frænans,

Horrisco sic ore tonat: perpenditis alta

Mente Dii, vestri tantum solamina regis,

Quanto Ancheta meis insultet sedibus hospes

Imperio, & magno eludat conamine vires?

Cernitis, an vestros caligo obnubit ocellos?

Vasco.

Scilicet immitto rapidum si navibus æquor

Môr

Mortem illaturum, nautis clamore vocatus
 Dexteradest, cohibetque undas, ceu fausta coercent
 Sydera Tyndaridum germanâ lampade fluctus.
 Si tandem proras compello in Claustra, Charibdis
 Quis latrat, aut scopulos obtendit Scylla latentes,
 Accurrit, qualisque rati Palinurus ab altâ
 Monstrat iter, digitoque docet præeunte viarum
 Errorem, & cæco fallentes gurgite Syrtes.
 Sufficit (infandum!) paucis perarata lituris
 Charta viri, mandata mari, ceu nautica pyxis.
 Ducat ut errantem directo tramite Cymbam.
 Illum ego devovi fatis, mortem que precatus
 Immisi fluctus, tempestatesque sonoras,
 Et balænarum squallentia corpora; risit
 Monstra maris, primis iussit sudoribus undas.
 Una fames superest: utinam sententia votis
 Conveniat, parcatque meis jam sedibus hostis.
 Tempus adest, quo Christiadum solemnia ritus
 Sacra quadragenî instituunt Jejunia; pisces
 Gens capit, & bubulis nequit indulgere saginis.
 Quarè agite, interea depressio carcere gentem
 Claudite squamigeram; motis nec currere pinis
 Iam Bahyenſe fretum liceat, ne rhombus ab hamo
 Pendeat, & vacuas oneret nova præda cuiinas.
 Hæc ait: extemplò fundo volvuntur ab imo
 Cæcula, subsultant lymphæ, raptantur arenæ.
 Quotquot in undivago spatiantur monstra theatro,
 Antra petunt, vitant cælum, latitantque cavernis.
 Hinc exorta fames, sacrosque ingressa Penates
 Jesuadum, sævo pulsat præcordia motu.
 Ventremque exagitat rabido vesana iatrato.
 Polypus, & mugil, sargus. murænula, rhombus,
 Cammarus, octipedes etiam convivia cancri
 Nulla beant, aut concha lacu saturata iucino.
 Nec jam ferratâ torrentur crate bilibres
 Mulli, sive rubet cataphracta locusta catillis.

in ej. vita
 lib. 3. cap.
 14. n. 3.

Ibidem.

Proc. 2. f.
 47.

Innuit je-
 junii
 Quadra-
 gesimalis
 tempus.

Descriptio
 famis in-
 gruentis.

Hic

ORPHEUS BRASILICUS

Topogra-
phia col-
gii Bal-
ensis.

Brasili-
Provin-
cialem
tune re-
poris ag-
bat.

Domina-
tur mar-
bus.

Ej. vita
4 c. l. n. 2

Vide Par-
then. ora-
erudit. A.
2. cap. 8

Describi-
tur Pisc
captura.

Hic , ubi sublimi despectat littora fronte,
Et Bal yacensem decorat pulcherrima montem
le suad um sedes , regalis machina dextræ,
Ecce Ancheta suos inter versatur alumnos ,
Et vita mexactis perpendit lancibus , ædes
Hi inc , inde invisens , qualis duodena per astra
Carpit iter Titan , & lustrat sydera gyro.
Tunc altum indoluit , diram dum sentit Orem
Sævis , esurieque virum pallefcere vultus.
Protinus accurrit valvis , quæ fronte patenti
In mare prospectant : mittens per limina dextram
Clama , & æquoreos elatâ voce fragores
Exuperat , pelagique ciet vada surda querelis:
Pisces omagni Neptuni pabula , pisces ,
Huc omnes jubeo latebris enare profundis
In littus , petere & pulchram per retia mortem ,
Necepi : obstupuit sedato murmure pontus.
Undique collectæ spatiosa per æquora turmæ
Inurgunt pinnis , variisque natatibus undas
Impellunt , donec monstrato in littore sistant.
Haud secus , Egæum vidit cum Thessala pinus
Ponitur , in puppe sedens nervos diverberat ictu
Orpheus argutos : dulcis sonus occupat undas ,
Pyæque silent sopiti carmine fluctus.
Aut , cum tartareâ caneret sub sede morantem
Euridic en plectro , Rhodope despectat ab alta
Squamigeram ad numeros ludetem marmore gētem.
Interea ad littus famulos Ancheta remittit :
Ite , qui bus turmas fallendi cura natantes
Contingit , vel jacta dolis in retia prædas
Ducitis , aut calamis ductos fallacibus hamos
Mititis , ite : avidas ditabit copia dextras.
Turba inculta foci currit velocior Euro :
Retia mandantur maculis intexta minutis
In Xymphas , penderque manu lethalis arundo.

Exiii.

Exiliunt pisces , motis cervicibus hamos
Sponte petunt , versant artus per retia ; certat
Quisque mori , vitamque volunt pro morte pacisci.
Curvantur famuli victi subpondere , sursum
Attollique nequit firmatis sarcina dextris :
Sic numerosa gravat fragilem captura lagenam !
Magna domum plenis portantur dona canistris :
Omnes se prædæ accingunt , dapibusque futuris
Cuncta parant : tenues animat pars follibus ignes :
Pars in frustra secat , cultrisque exenterat : ollæ
Accipiunt lymphas , piscisque ebullit ahenis.
Desuper acre piper , diffusi & munus olivi
Condimenta cibus addit genialia , labris
Eliciuntque avidis obsonia grata salivam.

Postquam exempta fames epulis, & dira Falerno *Conclusio*
Pulsa sitis fuerat , læto clamore juvenus *Dominii.*
Anchetæ plaudens cœnam gratatur inemptam.
Solus in obscuro Neptunus conditus antro
Dentibus infrendet , furiisque agitur; inanem
Hostibus esuriem pudet immisisse , palato
Unde novæ risère dapes , & fercula mensis.
Inde supervacuas regni indignatus habenas,
Brasiliicum regnare suis finit Orphea lymphis.

A E R

ELEGIA

Spirat ubi Æoliis lascivior aura flabellis,
Ac volucrum dulces hospitat ampla choros ;
Orpheus insonuit plectro , pennisque canentem
Tùm supra vatem multa pependit avis.
Scilicet Euridice vinclo sociata jugali
Excitat in carmen connubiale virum.

*Mart. lib.
Spectac.
Ep. 106*

Obse-

Obsequitur, Cytharâque suos solatur amores:

Euridice, Euridice! terque, quaterque canit.

Descriptio Certavere feræ, picturatæque volucres

autumOr- Dona suo vati quæ potiora darent.

phei nup- Caucaſeo cryſtalla ferunt devertice lyæces,

tiis ab- Gryphes Hyperborei pondera fulva ſoli.

landien- Furatæ Veneris prato viridante columbæ

tium. Florea connexis ſerta tulere roſis.

Claudian. Fractaque flebilium ramis electra ſororum

Epist. ad Cygnus oloriferi vexit ab amne Padi.

Serenam Et Nilo pygmæa grues poſt bella remenſo

Ore legunt rubri germina grata maris.

Venit & extremo Phænix longævus ab Euro

Apportans unco cinnama rara pede.

Inde coloratis pariter ſpectacula pennis

Reddunt, alituum cantibus aura ſonat.

Partitaſque vices recto modulamine ſervant,

Hæc gravis, hæc ſumma eſt, plenior illa canit.

Hac divina tenus vatum deliria! Vates

Orphea Braſilicum quis ceciniffe neget?

Ceſſit & Anchetæ ſociali fædere Virgo,

Gratior Euridice quæ ſibi viſa fuit.

Hæc ſequitur plectro, & numeris modulatur; in omnes

Si numeros duci gloria tanta poteſt.

Ovid. Non ut laſcivo cantata eſt sæpe Catullo

Trist. lib. Fæmina, cui falſum Leſbia nomen erat:

2. ad Au- Vel fuit exigui plectenda licentia Calvi,

guſt. Ceſ. Detexit variis qui ſua furta modis.

Euridice Orphæo, Stellæ cantetur Janthis,

Nafoni placeat pulchra Corinna ſuo.

Mariana Antè puellares, Virgo pulcherrima, cætus

vitam in Te juvet Anchetæ ſollicitaſſe lyram.

littore Tura fides fidibus; nequeunt læſiſſe pudorem

deſcripſit. Carmina, nulla quibus pagina turpis erit.

Et ſi littoreis verſus incidat arenis,

Ex hoc proſiliet littore nulla Venus.

Littoris ah quoties spatiis cælavit amores,
 Et perarata solo Littera fecit, amo!
 Dum resonare docet Mariano carmine littus,
 Turba huc alituum sollicitata venit.
 Huc properat Progne pectus signata cruentum,
 Gestit & ad vatis nidificare sinus.
 Versicolor pariter volitat per colla palumbes,
 Candoremque viri candida quærit avis.
 Hic querulus raptos turtur suspirat alumnos,
 Solamenque malis, vate canente, petit.
 Psittacus humanæ festinat vocis imago:
 Sæpe avis è blæso gutture mittit *ave*.
 Quæ per Brasilicum colludunt æra pennæ
 Væstigal solvunt connubiale lyræ.
 Ludit avilquæcumque suo maculata colore,
 Ut libet, argutis gestibus ora movent.
 Excutit hæc plumas, pedibus micat illa, canorum
 Hæc levat, hæc volvit, deprimit illa caput.
 Altera & incomptas rostro discriminat alas,
 Altera dum crispat colla superba, tumet:
 Altera miranti blanditur syrmate vati,
 Quæque suum dulci funditat ore melos.
 Non ita concentus numerorum lege solutus,
 Compositos seivat vox animosa sonos.
 Intenti mediis, gravibus sociantur acuti,
 Æqualique omnes omnibus arte sonis.
 Dum tamen Aonio strepit omnis murmure campus,
 Sortitæque vices dulcè queruntur aves,
 Virgineo nutrita sinu denittitur ales;
 Quæ foret Anchetæ fida ministra suos
 Versicoloratâ præcingitur Iride pectus,
 Cristatus summo vertice surgit apex.
 Altiùs alternat replicatâ voce choreuma,
 Ingeminatque suos ingeniosa modos.
 Indè simul gestum, & nutus speculatur heriles;
 Se movet ille, movet, dum sedet ille, sedet.
 Quæren-

*Avibus
 domina-
 tur. ej. vi-
 ta lib. 5.
 c. 11. n. 5.*

*lib. 3. cap.
 1. num. 4.*

*Descriptio
 aviculæ
 præ cate-
 rise canora
 ej. vita i.
 2. cap. 7. n.
 6. 7.*

Quærentem quærit , libantique oscula libat ,

Vate tacente , tacet , vate canente , canit.

Quidquid arenoso describit littore dextra ,

Æmula vocali gutture reddit avis :

Vid. Strad. Ut quondam fertur modulos Philomela minutos

2. Prolu. Affectasse , lyram dum Cytharædus agit.

ston. 6. n. 6. Maternam dignoscit avem , cantûsque tenorem

Ancheta , & certum pignus amoris habet.

Ales , ait , Mariæ Siren , innoxia Siren ,

Quàm bene mellito carmine corda rapis !

Porrige cælestes pangenti carmina plumas ;

Penna mihi calamum , spicula penna dabit.

Spicula pectus amet , calamum sed dextera tractet ,

Sentiat hinc pectus , quod facit indè manus.

Si tamen arridet , libratis utere pennis ;

Alite correptus Virginis ora petam.

Ne solum Iliaco cedat fortuna Cynædo ,

Nunc Ganymedeâ fac quoque sorte fruar.

Sola , quod invideo , nostro te proripis ore ,

Ales , Parthenio cur sine vate fugis ?

Hæc ait : & volucris subitò evanescit in auras ,

Et dedit extremum lingua canora , vale.

IGNIS

ODE

Videre Sylvis Orphea Thraciis
Musæ canentem (credite Posterî)

Cantuque frænantem voraces

Pyerio resonante flammæ.

Si quando pestem Mulciber igneam

Inspi-

ORPHEUS BRASILICUS

35

Inspirat arvis, & crepitantibus
Stragem favillis irruentem
Bistonis meditatatur oris,

*Descriptio
Orphei
ignem, cy-
thara fra-
nantis.*

Ferire vates pollice barbiton
Orditur, ardor Lemnius impetum
Remittit, & fertur retrorsum
Sæpe suas repulisse vires.

Impunè densis arbor in hortulis
Fronde nutat læta cacumine,

Flavisque prægnantes aristis
Messis agit sine fraude crines.

Vulcano ademptum villicus impetum
Laudat sonantis munere pectinis;

Quòd nulla pomis sarcinatos
Flamma suos populetur agros.

Immane quantum iam modò Brasiliis
Ancheta ficto dulcior Orpheo

Affurgit oris, imperante
Et sonitu moderatur ignes.

Vis unde spirat carminis insita,
Hic vocis ardor, gratia gutturis?
Non hoc Apollo, nec Camænx

Brasilico peperere Vati.

Choro sonorus fluxit olympico
Tenor canendi, gloria carminis,

Orbes alumnus, & rotantis
Docta capit documenta cæli.

Videtis, altis ut cerealibus

*Igni da-
minatur*

C ij

Man-

Mandata flammis munera sospitet,
 Ignisque fauces helluantes
 In calidos vetet ire panes?

Non sic reluxit tostus in ignibus
 Panis, dolentis munera fæminæ,
 Ut splendet inter fulgurantes,
 Quas superat pia Musa, flammæ.
 Fornace libum Fæmina multiplex
 Pistrix locarat; sedula dum lares
 Hinc, inde versat, & placentas

Triticeas operosa virtus
 Condit ministris læta fidelibus (
 Proh fatum!) edaces surgit in igneas
 Vulcanus iras, esculentum

Ore rapit Cereris laborem:
 Ceres reluxit quæ modò candidis
 Ori refusis pulchra coloribus,
 Repentè versis nunc rubentes

Illa genis imitatur ignes.
 Cùm fortiori flamma licentiâ
 Serpit paratis infusa panibus,

Puella sentit in favillas
 Triticeas abiisse prædas.
 Per ora largis tum dolor imbris
 Fertur; querelis sydera provocans
 Pistrix pererrat, & solutos
 Dilaniat furiosa crines.

Ut vis quievit pectoris ignea,

Ameri.

Americanum vocibus Orpheæ

Exorat, ut panes redirent,

Dona suis renovanda mensis.

Ancheta flammis exitiâlibus

Vocatus obstat, frænaque fervidis

Misit favillis, & coegit

Mulciberum revocare gressum.

Qualis canoro Thessalæ murmure

Soporat ignes, vel Maga cantibus

Demulcet astra, quæ rotundo

Præcipitat revoluta Rhombo.

Sepulta nupèr pulvere Fæminæ

Gementis alto dona repullulant;

Caliginoso tum resurgit

Tosta Ceres rediviva busto.

Mirantur ignes imperialibus

Verbis subactos; undique confluunt,

Hærentque vernarum cohortes

Insoliti novitate monstri.

Iô, reponunt, Numine nobilis

Ancheta tanto, cui bene vincere

Cessit favillas, clariores

Ignem simul reperisse lauros!

Ej. vita l.

3. cap. 12.

num. 5.



SINOP.

SINOPSIS

ELEMENTORUM CONSPIRANTIUM
In Brasiliensis Orphei Laudes :

ELOGIUM.

Primis nunquam valedicet elementis ,
Qui semel Anchietā suscepit salutādū:
Incipiet ad limen repedare ,
Ubi se fingit limitem attigisse.
Exhausto igitur argumento ,
Scenam cogimur redordiri ,
Ubi regressus progressum faciat.
Longissimū adeò prorogat intervallū Herois nomen,
Ut quatuor tātū elemētis nequeat terminari.
Sed quando alia non suppetunt ,
Actum agere , necesse est.
Quantūvis rudes videamur tyrunculi,
In elementario ludo rursus versabimur.
Omnia in unum tandem coalescant,
Quò unita virtus fortius agat.
Fidem denuò instaurabunt elementa ,
Quam olim ruperant :
Quidni amico fædere copulentur ,
Brasiliēsis si Fidicē fidibus pergit insonare?
Et quem Patria Canarium edidit ,
Brasi-

*Patria
Canarinus
fuit. ej vi.
tal. i. c. i.*

Brasilia canorum sensit.

Elementa,

Si vates rectè canunt,

Vocum exhibent quaternionem.

Altiolem quidem concentum facient,

Si modò coeant.

Omnium licet non idem sit tenor,

Hic tamen omnes argutè sonant;

In eam siquidem conspirant harmoniam,

Cujus munus argutari est.

*Elogium
argutis
constat.*

TERRA

Prior in medium se confert Tellus,

Cujus motum gravitas modò non impedit,

Sed expedit.

*Terra re-
liquis ele-
mentis
gravior.
Ovid Me-
tam. l. 1.*

QUÆ,

Ut pote gravata pondere,

Extremum inire locum debuerat,

Primum occupat.

Ne mireris:

Joseph auspice,

Ufu omnibus venit incrementa sortiri,

Et viliora etiam in melius ruere.

Primū Telluris fulcimētū Anchiætæ humeri

Centrum hic fixit magnitudinis,

Quæ ulterius progredi non pterat.

Fortior Atlante visus est

*Joseph so-
nat incre-
mentum*

*Centrum
terre, ali-
ud mag-
nitudinis,*

Cælum

*& aliud
gravita-
tis. Ita
. Philos.*

Cælum pariter succollare , & terram.
Pondus ita sustinuit ,
Ut nunquam inclinarit ,
Licèt curvaretur à tergo.

*Gibba La-
borabat.
Uulgo di-
citur nov-
us Ada-
mus Vide
Pallad.*

Exquo audiit novi orbis Adamus ,
Costulā protēdit novam prolem formaturus,
Tellurem non ita dorso appendit ,
Ut aliquando pedibus non supposuerit.
Humeros nacta est in fulcimentum,
Pedes verò ad famulatum.

*Ej. Vita
ubi supra.*

Terræ voluit incertum ,
Plus ne suis palmis debuerit , an plantis ?
Pedestre nempe iter dum facit,
Surgit è vestigio miraculum.

Sulcatus pedibus ager subita frōdescit germinationes
Non fallunt Anchiætæ vestigia ,
Cujus plantæ colonorū spem abūdè satiant.
Plantulas ,

Quæ è pedibus pullularunt ,
Oculi aluere ,

Ne segeti deessēt sydera benignè afflantia,
Et miracula à capite prodirent ad calcem.
Tellus vel inculta sui Harmostæ coluit imperium :
Vix tactu provocatur , statim floribus respondet ,

*Herbam
porrige-
bat, qui se
victum*

Tanto quasi victa beneficio ,
Herbam porrigeret.

Ni malis ,
Sertum è floribus adornare ,

Quo

ORPHEUS BRASILICUS

41

*fatebatur.
Manut.
Adagia.*

Quo Princeps novi orbis coronetur.

Civicam, oportet, maximè intexat;

Interirent fame cives,

Ni uberrimam suppeditaret annonam.

Tellurem nescio quis discum nuncupavit orbiculatū: *Vide Polyant-
hæ-*

Si discus est,

*am verb.
terra.*

Fruges capiat,

Quas ferculis Anchietæ largiter importat.

De satis verò satis cū fecerit,

Pauca diximus.

Cætera,

Quæ in agro floruerunt,

Sub rosâ maneant.

MARE

E terrâ ad mare provocamur:

Impatiens obmurmurat,

Quod citiùs in laudes non fluxerit.

Nobis tamen à littore excedendum non est,

Ne tãto rei ũpōdere in naufrag ũ cōpellamur

Quàm plura hic leges,

*Ej vitæ
ubi supra.*

Quæ exhibent Anchietæ articuli.

Dum littus exarant!

Digitos pro stylo usurpavit,

Vel ut omnia castigaret ad unguem,

Vel Deo affinis

Maritimam oram tribus digitis appenderet

*Isai c. 40.
v. 12.*

Deus olim legem aquis imposuit,

*Prov. c. 8.
v. 29.*

Anchie-

42 ORPHEUS BRASILICUS

Anchieta pondus adaptavit , & mensuram,
Cum littus carminibus mensuraret.

Ubi mare redegit in servitutem ,
Statim scribit ,

Uti ligatum chirographo dominium foret.

Mare cogit ad nutum famulari ,

Quando famulus à pedibus instituitur.

Postquam pedibus in arenam descendit ,

Virginem sibi vinxit , & vicit.

Carminibus compensat amorem ,

Qui omnibus fuerat numeris absolutus.

Versus littori inscribit , Mariæ adscribit ;

Hinc emendicat sales ,

Quibus sua conditur Poesis.

Nemo felicius littus aravit :

Arenæ laurum germinarunt ,

Quà Marianus vates coronaretur.

Ità sibi providit ,

Ut navigantiū etiam consuleret erroribus.

Chartam describit in littore ,

Quam si nauticam nuncupes ,

Non erras :

Inibi *Stella maris* subinde legitur.

Rectum ab errore ,

Si nautæ ad hæc brevia asportentur :

Multa legent , plura colligent ,

Tot sunt gemmæ , quot carmina.

*Brevia
vadosa
maris lo-
ca sunt ;
Hic ambi-
gue sumes.*

AER

A E R

Aer oratorem invitat bonis avibus :
 Hic in laudes tot conspirant calami ,
 Quot volucrum plumæ.
 Pennæ cedunt in plectrum ,
 Quò acriùs insonet Brasiliësis Orphei lyra.
 Ex quo Aerem sibi fecit vestigalem ,
 Aves famulatum præstitere.
 Nullum hic gessit imperium ,
 Ni priùs alites demore auspicarentur.
 Virginem dum canit in littore ,
 Virgo dimisit oscines ,
 Quibus in vatem feliciter inauguraretur.
 Una præ cæteris vatem demulcet avicula ,
 Quæ vicissim in aures garriebat.
 Visa est in arena Caballinum fontem libasse ,
 Ubi & Aves poetantur.
 Gaudet Ave salutante ,
 Et sibi felix portendit augurium.
 Virgineo corripitur amore ,
 Cùm avicula primum involavit ;
 Quasi illius plumæ velociores reddidissent sagittas ,
 Quas amor vibravit :
 Vel Stymphalides volucres æmularentur ,
 Quæ dum volant , spiculis vulnerant.
 Noctuam dixisses ,
 Ni cantus alitem proderet ,
 Quæ

*Ej. vita
ubi supra.*

*Biderman
ni Utop.
l. 1. n. 2.*

*Claudian.
de Hysperi-
ce.*

*Noctua
Minervæ*

*Sacra Nat.
Coml Mi-
thol. ibi
ad*

*Certamen
Philome-
la cum Cy-
tharædo
vide apud
Strad l. 2.
Prol. 6.
num 6.*

*Natus in
canarijs,
que insu-
la fortu-
nate di-
cuntur.*

*Ovid Me-
tam l. 1*

*Ej. vita
ubi supra.*

Quæ alioquin invigilat ,
Ubi canit excultæ Minervæ vates.
At Philomelam potius æstimarim ;
Certamen quidē amat cū Parthenio inire Cytharædo
Vicisset sane ,
Ni Canaria Anchietæ Musa foret:
Cantus cum fortuna conjungitur ;
Patria siquidem
Et canorum fecit , & fortunatum.

I G N I S

Ultimus Anchietæ splendor ignis :
Eò magis illustrat , quò clarior ,
Eò attollit viri imperium ,
Quò reliquis sublimior elementis.

Incendium extinxit ,
Quod non sine nocumento grassabatur.
Sed sopita flamma temperari non potuit ,
Quin factum amplius elucidaret.

Extincto igne ,
Id nitoris virtus sibi peperit ,
Quem in accenso rogo vix conciperet.
Panescio quæ Pistrix clibano admoverat
Quò lentè calefierent :

Haud Cerere abstinuit Vulcanus,
In igneas solvitur linguas,
Quibus porrectū sibi pabulum abliguriret.
Puella serò advertit incendium ,

Quasi

Quasi oculi ad lucem caligarent.
Ad pulverē devenerat flammarū certamen,
Cū in cineres panes abierint.

Extemplo clamat;
Sed de panibus fuerat conclamatum,
Qui in busto jacebant.

Lachrymæ ubertim manant;
Largo tamen profluvio incendiū non restinguitur.
Ubi adest Anchieta, simul abest ignis voracitas.

Cerere ē busto revocat;
Et quæ in Matre nil Opis repererat,
Anchietam sensit opitulante.
Opima ab igne victoria reportatur:
Quantum pulveris exciverit in certamine,

*Ceres Mā-
trem ha-
buit Opem
Nat. Com.
l. Mythog.
ibi.*

Testentur cineres.
Panibus igne exemptis,
Jussit edere,

Non tamen in lucem.
Ille ori consuluit porrecto cibo,
Ut ipsa linguæ favèret.

Quòd Cereri res sacra erat,
Eleusinum oportuit silentium retinere.

*Cereri sa-
cris silen-
tium in
dicebatur.*

Sed diu cælari nequeunt,
Quæ in igne quis gesserit.
Nobilissimum virtutis specimen
Puella sparsit in vulgus.
Incendium,

[Quod

Quod in panes sævierat ,
In se transtulit.

Tanto victa beneficio
Amore viri concaluit.



APPENDIX POETICA.


TRIBUS CIRCUMSCRIPTA LINEIS.
SELECTIORA COMPLECTITUR CARMINA,
QUÆ

DE ELEMENTIS PROMISCUE TRACTANTIA,
ET
DOMESTICO OLIM E MUSÆO PENDULA,
BRASILICO ORPHEO,
V. P. JOSEPHO DE ANCHIETA
BRASILIAE APOSTOLO,
ET NOVIORBUS THAUMAT.

C. V. D.

SEPARATI JUNIORES;
PARITERQUE RHETORICÆ
SCHOLARES,


è Socitate JESU
IN COLLEGIO BAHYENSI.



ULISSIPONE OCCIDENTALI:
Ex Officina Antonii de Sousa à Sylva.

M. DCC. XXXVII.

Cum facultate Superiorum.



LINEA PRIMA.

IDYLLIUM ACROSTHICUM.

JOSEPHUS ANCHITABRASILIE
 gneus in medios Vatem calor impulit agros,
 rta ubi fervercit rapidi petulanria Tauri,
 yvestresque acuit feriis in prælia dextras.
 rupit quibus ille minis, quo fervidus æstu
 rosiluit, quanto potuit mitescere nutu
 ic referam. Curis tentare bobilia, Nymphæ,
 estra novis agito: præcant hæc Numina Vati,
 i vacat arcanæ lustrare cubilia sylvæ.
 mphitheatralis cedat venator arenæ
 otus, & Hyrcanis quondam benè cognitus vris
 arpophorus, tauros cessit cui mole ruentes
 erculeâ vicisse manu: spectacula circus
 am Brasilus maiora canit; non ista cruento
 veniunt ictu, & misso miracula ferro;
 errita sed vultu cornutum bellua fulmen
 misit, didicitque suo parère Magistro.
 elligeris & fronte lupis metuendus, & apris
 ara per effusos carpebat gramina campos
 ssuetus numquam Taurus grave pondus aratri,
 upposito-ve subire jugi libramina collo.
 lle faces efflans à naribus, irrita passim
 iber agit ventis jam prælia, torvus & ignes
 am vibrat ex oculis, & jam ferit acrior alto
 thera mugitu; fastu sed semper inani

*Mart. lib.
 Spectacul.
 Epig. 15.*

*Ej vita l.
 4. c. 7. n. 6.*

D

Hurgi.

ORPHEUS BRASILICUS

*Tauris ad
cornua fa-
num ap-
pēdebatur
in signum
ferociæ.
Horat. Sa-
tyr. 4.*

Surgidulus gravido librat vestigia motu.
Taud illum terrere minæ, terrere flagelli
Hut valere metus, pavidum non ulla bubulci
Ais & ferrato collidere cornua telo.
Vaxima Clavigero restaret cura lacerto,
Mrdua si tales spectarent sæcla labores.
Anta iterum domito rideret adorea tauro
Tictori, & merita fronderet laurea fronte,
Vura pererranti Joseph demum obviat: ergo
Ramineos torva simulac cervice maniplos
Gidit, in obstantem taurum vestigia torfit.
Vic tandem impavidis hortatur vocibus: hastis
Santa ne cornutis ludit fiducia? vano
Tarrigis in dextras frontem conamine: rauros
Ael sacrat ara Diis, vel mancipat usus aratri.
Vura colas, moneo; discas parere colono:
Romere verte solum, pensat cultura laborem.
Multa nec affatus: demisso Taurus ad imos
Concidit ore pedes, vultuque afflatus herili
Cinnuit imperiis: concussio corpore nutat:
Ieu viso pavet agna lupo perterrita, aperto
Cel constrata solo, frontem-ve abjecta nitentem
Veptat humo, & rapidam præsentit cernua mortem.
Rat quoque sectari tenui tot maxima metro,
Antaque sylvestri cave, tibia, promere cantu.

TAURUM CICURAT.

EPIGRAMMA

Siste theatralis gressum spectator arenæ,
I'pete Brasilicas dexteritate plagas.
Aspice, quàm surgat læta ad spectacula taurus,
Et ludeat patulo ludicra bella iolo.

Excu-

ORPHEUS BRASILICUS 51

Excuteiens cervice jugum per tesqua ferarū
Irruit ; & cornu buccinat omne nemus.

Carcere si frænes caulæ, calthrove trabali,

Disjicit obstantes fronte ruente fores.

Ast modò jam cecidit quasi viçtima grata labori,

Nec solita immitis surgit in arma furor.

Vincla juvat profugo gestare jugalia collo, *Ej. vita*

Languentemque refert ad sua septa gradū. *ubi supra.*

Quodque fidem superat, didicit mansuescere, Joseph

Jussit ut ardentes longiùs ire minas.

Accedit, nutuque bovem, verbisq̃ salutat,

Et facili palpat colla superba manu.

Quàm pleno hinc, Joseph, virtutis copia cornu

Accrescat, signum non leve Taurus erit.

ALIUD.

Cernis, ut indomitus flavâ spariatur arenâ,

Et parat in toto prælia Taurus agro?

Sublata detrectat onus cervice jugale,

Vertere & immisso vomere rura negat.

Sed quæ tot lufit vesana superbia vires,

Anchetæ ad validas corruiit illa minas.

Sydeream te credo facem fore, bellua; tãto

Quòd tua subdideris colla superba viro.

*Taurus fig-
num cae-
leste est.*

ALIUD.

Desine limphatos nimiùm prætedere fastus,

Jam dudum elatum subdere perge caput.

D ij

Inci-

52 ORPHEUS BRASILICUS

Incipe victricem revereri, bellua, dextram,
Scindereque in pingui jugera longa solo.

• *q* Hæc quoq̃ rara tuum ditabit gloria nomen,

Sub Jove Anchetæ ad voces dedidicisse feram.

designa- Obtigit Europæ Tauro clarere Tonantem,

tur Anchi- Qui potuit larvis occuluisse suis.

eta quem, Si pares, alio innotescet America Tauro,

parum ab Qui tantū obsequio prodet in orbe Jovem.

fuit, quin

Brasili ut

indigitem

Numen-

que ali-

quod cole-

rent.

ALIUD.

Qui modò Marmaricos inter jactatior vrsos

Compulerat rabidas taurus in antra feras ;

Quique etiā nutus jam dedignatus heriles

Restiterat gravido subdere colla jugo ;

Ante tuos cicur uncapedes dentalia quærit,

Vel domitis visus mitior esse feris.

Sed tamen id magnum , trepidos potuisse vel urso,

Sternere , nunc dominas lambere posse manus.

Fallimur, an veteris cogor spectacula pōpæ

Cernere, & edomitos per sua damna boves?

Ut gens Romuleo lætetur Brasila circo,

Amphitheatrales reddit arena jocos.

ALIUD.

Qui fera colla jugo nuper furatur herili ,

Bella & cornuto fulmine dira movet,

Accidit Anchetæ Taurus, nutuque petitus

Vertit, humum, & multo fœnore ditat Herū.

Bel-

ORPHEUS BRASILICUS 53

Bellua calfacto cedat Marathoniam circo,
Herculeas potuit quæ decuisse manus.

At modò Brasilicè miretur in Hercule robur,
Nullus erat Taurum cui superare labor.

*Anguem, qui comitem mordicis pupugerat,
capite animadvertit.*

EPIGRAMMA.

ARboreis per rura comis, & strata virèti
Gramine cùm cæptas ingrediare vias,

*lib. 1. c. 8.
num. 8.*

Obviat incluso siccis ramalibus angui,
Lædit & obiectam, qui comes, unge feram.

Arrectis horret squammis caput alta, nocētē
Sauciat & morsu vipera læsa pedem.

Ne serpens, Ancheta, scelus iactaret inultū,
Nempe tuâ indoluit flamina scissa manu.

Quàm tulit illato meritam pro vulnere mortem!

Mors etiam à morsu prodiit orta suo.

*Ubi arenti Campo pedem intulit,
è vestigio revirescit.*

EPIGRAMMA.

ARserat æthereos inter leo torridus ignes,
Feralesque jubæ prænituerè feræ:

Non

54 ORPHEUS BP ASILICUS

Non jam purpureis ridet rosa Cypria labris,
Nec caput è mediis surrigit hortus agris.
Jam videt ambustas segetes tumare colonus,
Et Cererem virides deposuisse comas.
Huc ad sis, Ancheta, pluunt quem nubila iustum:
Qui teneas roris munera, solus ades.

Ej. vita l. Namque ubi siccatos stabili pede conteris agros,
3. cap. 12. Pullulat e pedibus plurima planta tuis.
num. 2. Id foliis testatur ager, fructusque propinans
Et sapit, & pleno gutture Flora probat.
Sic fortunatas ortum te noscit ad oras,
Cui fors non dubiis passibus esse solet.
Sed modò dum plātis ea venit gloria; nescit
Te benè quo possit sistere terra gradu.

ALIUD.

Allatrat æstivo segeti cum Sirius astro,
Et sævo arboreis invidet ore comis,
Aret ager, fervet solari gleba calore,
Fronibus haud vernat cæsariata suis.
Sulcat ubi pedibus sitientia jugera rivos.
Joseph, de plantis planta repentè viret.
Imperiis, Ancheta, tuis non restitit, herbam
Porrigit at tanto Numine victus ager.

ALIUD.

Cernis ut Anchetae flavescat campus aristis
Sulcatus pedibus, floreque vernet humus?
Quis

Quis neget aurifeto redeūtia sæcula lustro,
Joseph, Brasilicis incubuisse plagis?

Si quondam fruges *tellus inarata ferebat*,
Et frondescebat, quin renovetur, ager;
Id modò tempus adest; surget gens aurea mundo,
Auspice cū tanto sponte virescit humus,

Ovid. *Me-
tāsmorph.
lib. I.*

ALIUD.

Cū coquit arentes infana Canicula terras,
Perficis ignotas usta per arva vias:
Induitur gravidos vitis modo nudaracemos,
Jamque ferax tenero palmite vernat ager.
Quæ nova de mediis surgūt pomaria sylvis,
Quæ nova & effætā ditat Eleusis humum?
Reddiderant agrum vestigia sacra feracem,
Cū tulit & fructus extera planta novos.

ECHO.

Cū pede terra tuo malè fæta teratur; *Aratur*.
Prodiga nā flores, quæ modò squallet, *Alet*.
Gēmātes Zephyritis opes en propalat; *Halat*
Frondet humus, facili fit nemorosa; *Rosā*.
Venerat an spinas Ancheta evolvere? *Verè*.
Cū rus, ergo rosas id superaddit, *Adit*.

*Renitentem rupem digito funditus
avellit.*

EPIGRAMMA.

Ej. vita l.

9. cap. 18.

36

Consule

Horat. 1.

Epist. 19.

A Rdua campestri rupes immota theatro
Surgit, & arcentes despicit illa manus,
Fervet opus, frustra vires nituntur, abire
Sed lapis innatâ de statione nequit.
Dexter adest Joseph, digito tangente resultat
Rupes, atque aliò carpere cæpit iter.
Plaudite: si digito miracula claudit in uno,
Pollice laudari visus utroque fuit.

ALIUD.

Latiùs excurrit porrecto vertice rupes,
Quæ non pauca suâ jugera mole premit.
Cætus at obstantem convellere nititur; altè
Terræ radices egerat illa suas.
Vix saxū digito petis, Ancheta, ecce rotatu
Volvitur, inde aliò præcipitatque fugam.
Haud tua sit digito censēda potētia; dextræ
Hoc palmare tuæ est, non digitale decus.

ALIUD.

Stat rupes cōplexa solū, quæ pōdere dextras
Ludit, & innatâ sub statione sedet.

Cum

Cū primū Anchera cōtingitur Indice, saltat
Funditū, ac veluti missa sagita volat.
Hinc tibi cōsurgē Joseph, monumēta: tuarū
Index virtutum jam lapis alter erit

*Index di-
citur etiā
lapis, in
quem ver-
sus est Bat-
tus. Ovid.
Metam. 2.*

ALIUD.

Rustica Vernarū consurgunt agmina, rupē
Ut sede avellant, arripiantque loco.
Tangis ubi saxū digito, Joseph, cucurrit;
Quod nō densa cohors, pars facit una manūs

ALIUD.

Pondere quæ vires rupes elusit inanes,
Ancheræ digito sollicitata fugit.
Hæc tibi si quāti steterit vis maxima, nescis,
Consule jam lapidē, Lydius alter erit.

ALIUD:

Firma lapis manuum ludit conamina, nescit
Cedere & innato, quem premitante, loco.
Tacta volat rupes digiti molimine; saxo
Ex hoc pro meritis ara locanda viro est.

*Fæmina acum, quæ fauces inter constiterat,
Anchieta imperio expuit.*

EPIGRAMMA.

B Rasila qua Phrygias depingit sedula vestes
Fæmina, lethalem gutture sorbet acum.
lib. 3. cap. 12. n. 1. Imperiis, Ancheta, tuis ferrum expuit, inde
Virtutem pleno gutture grata canit.
Et merito; vitæ rumpenda est tela, revulsa
Ni tua dextra simul fila retexat acu.

ALIUD.

Hæretacus Dominæ nimis interclusa palato
Quæ duxit Phrygiâ fila minuta manu.
Stamina rupisset vitalia cuspide, dextrâ
Ovid. Metam. lib. 6. Ni læso Anchetæ gutture vulsa foret.
Candida si quondam suspendit stamina, telis
Ac Philomela necem texuit arte suis;
Vide Plaut. ut. in Rudent. Hoc virtutis opus variis intexe figuris,
Fæmina; si facias, rem benè tangis acu.

*Feminam morbo laborantem sanat,
dum ei aqualim Saccharo mistum propinat.*

EPIGRAMMA.

lib. 4. cap. 7. n. 6. **F**æmina Sacchareos labris moritura liquores
Dum potat, rediit, quæ fugit, inde salus.
Vive.

Vivere, velne mori jã mallet? utrunq̃ reponit
Fæmina : dulce foret vivere, dulce mori,
Libet amaritiem quamvis Libitina, sapore,
Quem liquat Anchetae dextera, dulcis erit.

ALIUD.

Fæmina habentẽ reparat sine fraude salutẽ,
Dum bibit Anchetae sacchara mista manu.
Mortis amara dehinc neu sint monumenta ; sapore
Indulcata juvat jam Libitina novo.

*Tumulatum Puerum, quem Mater
ob inelegantis formæ feditatem ex-
tinxerat, Baptismate lustrandum
suscitat.*

EPIGRAMMA.

I Mpia confecit fatali vulnere natum,
Condedit & gelidâ barbara Mater humo.
Nec præmaturo fuit invida Parca puello,
Nec deerant tereti stamina larga colo.
At mors materno properaverat excita cultro;
Quòd renuit frontis reddere dona Venus.
Promptus ades, lapidemq̃ moves, Ancheta; perempto
Vita tamen puero, te duce, grata redit.
Indeque lustrali submergis flumine, currit
Atque puellaris pulchra per ora decor.

lib. 2. cap.
8. n. 2.

I'pre-

Sal, & a. I'precor, i, diræ non displiciture parenti;
 quâ Bap. Ex sale jam Charites, & Venus exit aquis.

xi mi vi.
 sus sibi
 usurpat.

*Hominem capite dolentem
 Pileo Sanat.*

EPIGRAMMA

lib. 3. cap. 3. n. 8. **N** Escio cui vertex crebrâ vertigine gyrat;
 Intus & assiduis motibus usque dolet.
 Pileus Anchetæ capiti præ cingitur, inde
 Motus abit, rediit vertice pulsa salus.
 Talia conveniunt homini gestamina: morbo
 Liber erat, Capiti Pileus ergo cadit.

Pileus fig-
 num Li-
 bertatis
 erat. Sue-
 ton. in Ti-
 ber.

ALIUD.

Pileus ægroto confurgit vertice, tantis
 Et timet exuviis incubuisse dolor.
 Victus abest: Æger galeatâ fronte triumphat;
 Pileolus vitæ scindere fila vetat.

Morbam sanat aspectu.

EPIGRAMMA.

lib. 3. cap. 3. n. 4. **A** Rtubus inserpunt ægris contagia, morbo
 Obstet Apollineâ nullus in arte vigor.
 Huc, Ancheta, semel contorques lumina, pestis
 Illa

Illa oculorum aciem victa repente fugit.
Si sapias, hæc Cælo appēdatur lumina, fursū
Grataque temperies, & fluet orta salus.
Noxia quam vultu conflagrant astra, benignè
Fixa tuâ solvant sydera fronte luem.

ALIUD.

Pallida grassatur morbo Libitina, dolente
Pharmaca propulsant corpore nulla luem.

Exulat Anchetæ vitali territa vultu :
Lumina cur fugiat? credite, cæca Dea est.
Cæca licet condant vitalia lumina ; lucem,
Quam rapit , Anchetæ sydera bina ferunt.

ALIUD.

Nescio, cui falce impendit Libitina, solutis
Morbis, ad stygias mittere pergit aquas.
Huc oculis, Anchetæ, tuis bene cōsulis, ergo
Nictu oculi corpus mors inopina fugit.
Te Duce, quis timeat morbi cōtagia, quādò
Ad nutum, & nictum Mors famulata tibi est?

*Scholas Brasiliæ incelsis
primus aperit.*

EPIGRAMMA.

DUlcia Brasiliæ peragebāt otia Musæ *lib. 1. cap. 5. n. 3.*
Intentæ solitos ducere quæq̃ Choros.
Læta-

62 *ORPHEUS BRASILICUS*

Lætaq̃ Castalidū fervebant compita ludis,
 Addiderant hilares Nuñina docta modos:
 Cū celer Aonio decurrens, vertice Phæbus
 Vertit in adversum lumina torva nemus.
 Novit ut Anchetā dictante, carmina Faunis,
 Natalemque novæ Pallas ire diem;
 Doctior, inquit, eris, tãto quæ nata cerebro,
 Quæ talem es, Pallas Brasila, nacta Jovem.

*Quendam Brasilum, indito
 prius Adami nomine, Baptis-
 mate abluit.*

EPIGRAMMA.

*lib. 3. cap.
 7. n. 3.*

TE quis in ignotos cæco rapit impete lucos,
 Et trahit in vitos densa per arva pedes?
 Quærere desertos vis addita concitat agros,
 Atque nec attritas admonet ire vias.
 Scilicet annoso sub robore confidet, ævum
 Qui jam Nestoreum linquere dignus erat.
 Protoparentis, ais, nomen sortire, libenter
 Imbreque lustrali, quem petit ille, luis.
 Hinc Fortuna tuis aspirat, America, campis;
 Elysio fies ditior inde solo.
 Te servat Joseph custos velut Aliger, alter
 Et tibi surgit Adam; num Paradisus eris?

Canari-

Canariis patriâ fuit

EPYGRAMMA.

Hic, ubi, prope, undit facunda Canaria Campos,
Terras, & Atlantæis cincta superbit aquis,
Nasceris; necque pares tibi fors dat provida cunas:
Debueras alio nec satus esse solo.
Diceris in patriâ qui sede Canarius, oris
Brasilicis sacrâ voce Canorus eris.

*Ejus costula à tergo luxata
in gibbum procurrit.*

EPIGRAMMA.

Prominet in subita rupta cōpagine clivū
Costa, & colliculo posteriore tumet.
Venturū præsentit onus vir maximus; ergo
Terga premēda novus pondere signat Atlas.

ALIUD.

Cernis, ut Anchetæ surgat curvamine dorsū?
Id facit innato costula pulsa lcco.
Brasilæ Patrem Numen jam destinat; Adæ
Costula paulatim tollitur ista novo.

*Novus
Adæ nun-
cupatur.
Vid. Pal-
lus.*

Ejus lad.

*Ejus officulum Remam
mittitur*

EPIGRAMMA.

lib. 5. cap. 15. n. 8. **M**embra sepulchrali postquã forvum in Urnâ,
Joseph, atq̃ vetus cedit in ossa decor;
Exuviæ busto sacræ effodiuntur ab imo,
Et capit articulos ditior urna tuos.
Hinc partita pios ditarunt ossa clientes,
Ac pars contingit non tibi, Roma, levis.
Accipe; nec jactes ultra Capitolia, fortè
Dat quibus humanum nomen inane caput.
Maior ab exuviis Joseph tibi gloria surgit;
Hoc Mundi evades firmius osse caput.

*Assumptam Deiparam
Carminibus commendat.*

EPIGRAMMA.

*Consule
ejus Elegi-
as ad cal-
sem Vite* **A** Liger & Joseph parili coiere volatu;
Par onus in pennis sustinuere pares:
Quam pennata cohors humeris tulit, ecce Puellam
Carminibus Joseph tollit in astra suis.
Virginem ut extollant, volat hic, volat ille sub astra:
Dic, uter ex istis altius ergo volat?

ALI-

A T L I U D.

Astra subit Virgine cælesti in vecta triumpho,
 Quam tollunt Numeris officiosa cohors.
 Si tamē Aligeri promptissima turba deesset,
 Anchera pelleret sidera ad usq̃ chelys.

VATES INAUGURATUR.

Mirabar ulli non superabiles
 Maronis artes, nemini & obvias
 Quæ vate sub claro, Camænas,
 Iliaco tonuere bello.
 Nec hauriendum rebar Hyanticum
 Ulli fluentum, Phæbus ubi indidem
 Libare Nasoni liquentem
 Nectareo dedit ore venam.
 Sed in venultis credideram jocis
 Esse immorandum, si vigilantior
 Quisquis per alta divagari
 Præpetibus velit astra pennis.
 Diversa mecum non agitaveram,
 Cùm Musa lento subveniens gradu,
 Vultuque in horrorem recepto,
 Hæc propius ciet ore voces:
 Eccur superbo ficta sub Ilio,
 Ponto ve, demens, carmina inhospito
 Mirare, Romanosque laudas,

E

Et

Et Veterum monumēta Vatum ?

Maiores coronā tempora Iuppiter

Ancheta cingit, Thespiadum decus,

Beatiores qui Cæneas

Multiplici subigit triumpho.

Hic & Latinos vicit, & in Lycos

Argiva vates quotquot humis miit,

Seu quot recedens, quot rubenti

Phæbus alit veniens ab Ortu.

Illustriorem carmine Virginem

Jam jam legenti fertur Apollini

Alfisse sub venis cruorem,

Et lachrymis maduisse vultum.

Ignarus autem tot sibi Delius

Mox pæniture damna paraverat,

Cunis recentem qui puellum

Castaliis dedit educandum.

Musæ tenellas obsequio pares

Videre cunas, munera bellulo

Nato daturæ pleniori,

Et facili pia dona dextra.

Astris amicâ luce micantibus

Gaudebat orbis, Pierides sinu

Fovere ridentem beato,

Nectareisque aluere guttis;

Et purpuranti tempora lectulo

Jactant Puelli lactea, fasciis

Pupum decoris illigarunt,

Per-

Littora : sic Cæli callidus ambit opes.
Falleris, anne tu respondens dona labori?
Dum sic littus aras, non, puto, litus aras.

ALIUD.

Virginis æneotypum sabulo, ceu marmore, scitè
Phidiaâ Joseph primus in arte gravat.
Tunc primùm sculptor, Joseph, consurgis ad unguè,
Littore cùm cælas Virginis ungue typū.

*Navim, in quam diu frustra
conatum est, levi baculo
in mare compulit.*

EPIGRAMMA.

S Tat ratis undivago nova concessura theatro,
Nautarum & tracto tunc celeusma sonat.
Machina quantūvis versatilis impete circū
Nititur, impulsus respuit illa novos.
Nescia divelli prima statione carina,
Virium, & ingenii ludificavit opus.
Vixque (fide majus!) Joseph contacta bacillo est;
Ecce per æquoreas velificatur aquas.
Scipio Romanus si ceter viribus, omnis
Palma erit huic baculo; Scipio maior hic est.

lib. 3. cap.
23. n. 14.

ALIUD.

Et Veterum monumenta Vatum ?
 Maior coronâ tempora duntaxat
 Ancheta cingit, Theſtidum decus,
 Beatiores qui Cantænas
 Multiplici ſubigit triumpho.
 Hic & Latinos vicit, & indigenas
 Argiva vates quotquot huſus pulit,
 Seu quot recedens, quot rubenti
 Phæbus alit veniens ab Ortu.
 Illuſtriorem carmine Virginem
 Jam jam legenti fertur Apollini
 Alſiſſe ſub venis cruorem,
 Et lachrymis maduiſſe vultum.
 Ignarus autem tot ſibi Delius
 Mox pænituro damna paraverat,
 Cunis recentem qui puellum
 Caſtaliis dedit educandum.
 Muſæ tenellas obſequio pares
 Videre cunas, munera bellulo
 Nato daturæ pleniori,
 Et facili pia dona dextra.
 Aſtris amicâ luce micantibus
 Gaudebat orbis, Pierides ſinu
 Fovere ridentem beato,
 Neſtareis que alüere guttis;
 Et purpuranti tempora lectulo
 Jaſtant Puelli lactea, faſciis
 Pupum decoris illigarunt,

Per-

Littora : sic Cæli callidus ambit opes.
 Falleris, anne tuo respondent dona labori?
 Dum sic littus aras, non, puto, littus aras.

ALIUD.

Virginis cunctypum sabulo, ceu marmore, scitè
 Phidia cæ Joseph primus in arte gravat.
 Tunc primum sculptor, Joseph, consurgis ad unguè,
 Littore cum cælas Virginis ungue typum.

*Navim, in quam diu frustra
 conatum est, levi baculo
 in mare compulit.*

EPIGRAMMA.

S Tat ratis undivago nova concessura theatro,
 Nautarum & tracto fune celeusma sonat.
 Machina quantūvis versatilis impete circū
 Nititur, impulsus respuit illa novos.
 Nescia divelli prima statione carina,
 Virium, & ingenii ludificavit opus.
 Vixque (fide majus!) Joseph contacta bacillo est;
 Ecce per æquoreas velificatur aquas.
 Scipio Romanus si certet viribus, omnis
 Palma erit huic baculo; Scipio maior hic est.

lib. 3. cap.
 23. n. 14

ALIUD.

ALIUD.

Quæ, Josephe, tuo ratis est impulsâ bacillo,
 Navigat : & cedit , quod stante , loco.
 Omne quàm dextro petet hæc ostia velo ,
 Quam tua perdocuit dextra , ire fretum!

ALIUD.

Cedere compulsus veteri de sede labori
 Restitat , ac nescit verrere linter aquas.
 Verbere sed baculi, Joseph, petit ocyor ūdas:
 Quidni ? castigat si tua virga moras.

*Naufragium sub aquarum
 fornice evasit.*

ODE.

Ibi ju-
stra, **A** Ncheta lymphis vela tumentibus
 Laxârat ; auris cymba faventibus
 Primo vagatur , inde fertur
 Horrisonis agitata ventis.
 Spirat solutis ocyor Africus
 Tellure frænâ , aura potentiùs
 Bacchata reflat , qualis unquàm
 Non Adriæ tremefecit orbem.
 Navis sub altis naufraga fluctibus
 Concussa nutat flamine , tollitur


Imma-

Immane nautarum celeusma ,
 Insolitus ferit astra clamor.
 Tandem sub imo gurgite volvitur
 Immersa etupis, lympaque remiges
 Exclit innantes, subinde
 Venericibus rapit unda nautas.
 Sospes procellam ridet inhospitam
 Joseph : sedentem fornice circumit
 Pendente fluctus, pro triumpho
 In fluidos sinuatur arcus.
 Plausit canorus Nereidum chorus
 Læto triumphum carmine, buccina
 Et rauca Tritonis per orbem
 Gesta canit, resonatque nomen.



F

LINEA



LINEA TERTIA.

Impendentem comadis imbrem coërcet.

O D E.

*lib. 1. sc. 2.
n. 6. 7.*

SUblata fulcris machina scenicis
 Cælum laceffit pendula vertice ,
 Et turba fervet histrionum
 Dramaticos meditata ludos.
 Hic purpuranti sformate lusitat ,
 Sed ille foccis arduus eminet ,
 Sermone turgescens rotundo
 Ore Chremes geminat cachinnos.
 Dum scena pergit , lætaque plausibus
 Strepente circo gaudia prorogat ,
 Et plebs moratur ludionum
 Conspicuo recreata vultu ;
 Nimbo sonorus Juppiter imminet ,
 Obnubit atro sydera turbine ,
 Imbrem theatro verticalem ,
 Et pluviam meditatur arvis.

Extrem

Extemporalis tum dolor ingruit :

Subselliorum vertitur undique

Ordo paratus : destinato

Cælus ngit dare terga circo.

Repente clamans voce Canarius

Heros ruerem continet impetum :

Quorsum itis ? Applaudit theatro

Altifono Jovis aula nimbo ?

Imber jubenti paruit horridus ,

Retro coactus protinus exulat ,

Cælumque prætendit lucernas ,

Scena quibus radiata pergit.

In idem

EPIGRAMMA.

GRata theatralis subeunt spectacula scenæ ,
Jam patitur nullas fabula prima moras.

Interea it toto tempestas turbida cælo ;

Sed propè lapsuram, nec mora, sistis aquam.

Tum postquā excedit sublimi turbat theatro,

Horrida diffuso turbine sævit hyems.

Et plaudit quādoq̃ polus: nā totus in imbrē,

Ne fortè extremum *Plaudite* desit, abit.

ALIUD.

Comica festivo confurgit scena theatro ,

F ij

Obstre-

Obstrepat & lætis area tota jocis;
 Horrida tempestas cælū contraxit, in horas
 Imminet ornato pendula gutta solo,
 Sistit aquas Ancheta suis modò nūtib; astris;
 Et terris scenas exhibet ille duas.

ALIUD.

Ecce theatralis dum fervet machina circo;
 Et parat occlusas pandere scena fores;
 Heu! Prope casuris horrescunt sydera nimbis,
 Nox quoque solares abripit atra faces.
 Ejice præcipites nimium plebs vana timores,
 Sydereæ actores addit & aula suos.
 Scilicet ut magno fulgèret scena paratu,
 Mimū agit, & larvā contegit ora polus.

Alatus in Aëre suspicitur.

EPIGRAMMA.

lib. 4. cap.
 35. n. 5.

Quid tibi cum plumis, quid cum pernibus alis,
 Cum primū exagitas in pia vota Deos?
 Alite felici tentans succedere turbæ
 Aligerum, æthereas incipis ire vias?
 Vel tua sublimes virtus diffusa per artes
 Te vehit, ad culmen jam properata luum?
 Nonne aliter vulgus pēderet ab ore loquētis
 Cum Superis, ni tu pendulus antè fores?

Quid

Quidquid id est, si vis, Joseph, tu pondere libra.
 Pendeque, dū plumis pensile corpus agis.
 Cū te ita præstiteris per tot suspēdia, vulgus
 Credere suspensū non grave crimen erit.

ALIUD.

Supplice cælestē dum voce fatigat Olympū
 Joseph, ala humero pendet utroq̃ duplex.
 Remigium quatit alarum, Cyllenius astris
 Ceu volat, alternat pennigerumque latus. *Marianus*
 Quid? Si virgineos vates Aquilinus honores *Vates ac-*
 Ille canit, terris Aliger alter erit. *clamatur.*

ALIUD.

Arduus insolitis fulcitur in aëre plumis *Alludit*
 Joseph, Dædaleā nee volat altus ope. *ad illud:*
 Quisquis Pegaseo delibat fonte liquores, *Albū mu-*
 Surgit Avis, pennas cui nova fama refert. *tor in ali-*
 Dulcia Pierio libasti pocula fonte, *sem. Ho-*
 Ancheta: Aligerum te tua pluma facit. *rat. Carm.*
lib. 2. Od.
20.

ALIUD.

Cerneris expansis sublatus in aëra pennis
 Joseph, dum pronus fundis in astra preces.
 Te quantū Aligerū suspirat turba! Quòd alas
 Te

Te quibus arripiat, commodat illa suas.

Naviganti obumbrant Aves.

EPIGRAMMA.

lib. 3. cap.
12. n. 4.

Ervidus excandet radiis solaribus Æther;
Cymba nec ulterius remige fulcat aquas.
Purpureas invitat Aves Ancheta volantes,
Ut quæque alarū tegmine obumbret aquis.
Accurrunt, texuntq̃ suis umbracula pennis,
Et plumante virum papilione tegunt.
Sol aliò victus fertur vertisse calorem,
Plurima cū radiis obviet ala suis.

ALIUD.

Plurima Josephi supra caput astitit ales;
Coniunctisque umbris nubis ad instar eunt.
Si movet ille gradum, motantur in æthere pennæ,
Et pedis arbitrio segnior ala volat.
Si sedet, expanso stat pendulus aëre cætus
Remigio alarum, circumagitque moras.
Talia flammantes pellunt umbracula Soles:
Cælestemque virū talis adumbrat honos.

ALIUD.

Sole sub ardenti pulchro per inane volatu
Agglomeratur aves, quas rubra penna tegit;
Tum

ORPHEUS BRASILICUS 87

Tū caput Anchetae obnubit dēfissimus umbo
Astra repulsurus , præcalidasque faces.
Ignea cristatus sic temperat astra galerus ;
Emeritum cingunt talia ferta caput.
Nā qui Brasilicis surgit, velut alter, in oris,
Mercurius , pennis non petasatus erit ?

ALIUD.

Plumea Josepho impendent Conopea, textu
Quæ super alarum tegmine reddit Avis.
Plumæ Ancheta, tuæ specimen virtutis adumbrant;
Hoc magis affulget, quò tibi obūbrat Avis.

*Carmina pangenti cantu applaudit
Avicula.*

EPIGRAMMA:

G Larea dum metricis sulcatur flava lituris , *lib. 2. cap. 7. n. 6.*
Et capit Anchetae lenis arena modos,
Garrula vocali blanditur carmine vati
Ales , quæ cantu plaudere visa fuit.
Carmina jam poterunt ubicumque volare , negaret
Alas fama licet , supeditabit Avis.

ALIUD.

Virgineos Joseph dū littore cātat honores,
In baculo, ac humeris sponte canebat Avis.
Cum

Cum labor assiduus mentē lassaret amantē,
Concinit, ut dulci voce levaret opus.

ALIUD.

Advolat hūc, illuc lætanti blanda susurro,
Littore dum Joseph carmina scribit, Avis.
Rem teneo: Vatis demissa ex aëre plumas
Scribentis digitis objiciebat Avis.

*Dum sacrum solvit horarum pensum,
libro insidet Avicula.*

EPIGRAMMA.

lib. 3. cap.
7. n. 13.

DUm sacrum horarum persolvit codice pensum
Ancheta, & superis fūdit ab ore preces;
Protinus Aërio festinat garrula cælo,
Gestibus & libri margine ludit Avis.
Fallor, an expāsas volucris tibi porrigitalas,
Alta quibus quærant ocyūs astra preces?

Ejus baculo insidet Avicula.

EPIGRAMMA.

ibidem.

CErnis, ut Aërios tractus exosa bacillo
Leniter Anchetæ sistere gestit Avis?
Quæ nova portendit volucris præfagia? credo
Orbi

Orbi Mercurium præcinuisse novo.
Fiat ut Anchetae geminis caduceus alis
Virga, alas baculo reddere tentat Avis.

Solem sistit.

EPIGRAMMA.

Solvat ut implexos sævo sub Marte labores
Josua, Solares impedit ire faces.
En antiqua novo redeunt miracula sæclo,
Solis & emeritos cum remoraris equos.
Abnuis in nigris operari, Ancheta, tenebris:
Idcirco ulterius præcipis ire diem.

lib. 3. cap.
3. n. 12.

*Combustes panes è cineribus
revocat.*

EPIGRAMMA.

Fæmina mandarat cerealìa munera flammis,
Ut sibi sufficeret igne coquente, dapes.
Panibus interpit laxis Vulcanus habenis,
Triticeosque avido devorat ore cibos.
Cogitur Anchetae nutu vomuisse placetas;
Pullulat è busto mox rediviva Ceres.
Solvitur in laudes Herois fæmina; quamvis
Sit sacra res Cereri; non tacet illa, canit.
ALIUD.

lib. 3. cap.
12. n. 5.

ALIUD.

Excitat è busto Joseph sorbente placentas
 Quæ nuper dederant pabula grata rog
 Vulcanum vicit : tantùm victoria crescit ,
 Attollit quantùm pulveris inde cinis.

*Versus in littore canentem circumstant
 Aves.*


O D E.

*Ubi su-
 pra.*

QUæ vis canentis jam nova gutturis
 Assurgit orbi ? Quæ lyra Brasilis
 Pulsata sylvis aucupatur
 Alituum sonitu cohortes ?
 Auditis , ut vox fertur in aëra
 Mulcente pectus carmine ? Fallimur ,
 Dulcemne diffundit sonorem
 Odryfio chelys icta plectro ?
 Ancheta vates insonat , alites
 Trahit volantes æmulus Orpheo :
 Pennata supplet & volucris
 Plectra suis studiosa plumis.
 Hic exultantem garrit Ityn suis
 Progne querelis, Turtur ab ilice
 Suspirat implumes alumnos ,
 Et resonat Philomela cantu.

Refert

Refert herilis vocis imaginem ,
Vatem & salutat Psittacus , ingemit
Et colla depictus Palumbes ,
Perque viri cupit ire plantas.
Intenta vatis proxima nutibus
Ales iubentis prospicit ; exitum
Ni fronte signet annuente ,
Nulla suos petit antè nidos.



MENSURA UTHORIS

E Go Franciiſcus de Almeida Societatis
JESU Sacerdos Theologus unà cum
 alumnis meis, qui in huic operi simul insu-
 darunt, profitentur nos passim hujus volu-
 minis opellas, & solutas, & ligatas, one-
 rare titulis, & mirabilis insignem virtu-
 tem, & sanctimoniam inveniuntibus; deinde
 nos insuper V. Anochietam, de cujus apo-
 theosi nunc agitur, aliquando, ut Poëtae,
 ac Oratoris munus inſerviamus, evehere,
 & insignire nominibus propè divinis, sed
 iis, quæ subinde offeſcuntur apud non-
 nullos Authores, præsertim de ejus gestis
 tractantes, quorum nomina de industria
 appendimus marginalibus libri spatiis. Vo-
 lumus proinde omnes miraculorum fidem
 præfatos penes. Aut hor estare, ne Eccle-
 siæ sanctionibus, & maximè Urbani VIII.
 decreto adversariolum vel unguem videamur.
 Cujus rei gratiâ nobis placuit ad cal-
 cern hujus Operis meritum nostram peni-
 tûs aperire.

Franciscus de Almeida.

1612. 1206.
- 125. 1710 -